

CXV. De nominibus uerbalibus in -bilis.

[1] 312. Nomina uerbalia in *-bilis* terminata fere omnia a secunda persona praesentis indicatiui, *-s* remota *-bilisque* adiecta, formantur, ut *amo, -as, amabilis, lego, -is, legibilis, audio, -is, audibilis*. Dixi *fere*, quia uenientia a uerbis coniugationis secundae per remotionem *-s* et mutationem *-e* in *-i* uel commutationem *-es* in *-i*, et addita *-bilis* cofinguntur, ut *doceo, doces, docibilis, placeo, places, placibilis*. (2) Item quia profecta a uerbis supina in *-ctum* uel *-sum* facientia permutationem de *-u* in *-i* et additionem *-bilis* saepenumero procreantur, ut *lugeo, luxi, luctum, luctibilis, duco, -is, duxi, ductum, ductibilis, facio, factum, factibilis, rideo, -es, risi, risum, risibilis, uideo, -es, uidi, uisum, uisibilis, findo, -is, fidi, fissum, fissilis* pro *fissibilis, sentio, -tis, sensum, sensibilis* et *sensilis*. (3) Tandem *fere* dixi quoque propter aliqua generalem formam non sequentia, ut *fictilis, rasilis, pensilis* et multa alia, de quibus in regula 314 diseretur, ideoque supra, saepenumero procreantur dixi.

[2] 313. Nomina praelibata uerbis ab absolutis profluentia significant actionem agendique aptitudinem, ut *risibilis*, aptus ridere, *gressibilis*, aptus gradi. Sunt quaedam alia quae passionem et aptitudinem significant faciendi, ut *haec uia est gradibilis*, id est apta per quam aliquis gradiatur. Venientia uero a uerbis transituis passionem et aptitudinem patiendi significant, ut *amabilis*, aptus amari, *docibilis*, aptus disci, *docilis*, aptus doceri. (2) Sunt quaedam alia quae actionem et aptitudinem agendi notant, non tamen semper, sed quandoque non nullis in locis, ut *penetrabile* cum proprie sit, quod facile penetratur uel aptum penetrari, inuenitur quandoque *frigus penetrabile*, id est aptum penetrare uel quod facile penetrat, *penetralis* et *penetrabile* interior secretiorque pars domus appellatur. (3) Sciendum autem nomina in *-bilis* terminata significare aptitudinem, ut *exposui*, terminata in *-osus* plenitudinem, terminata in *-bundus* similitudinem, unde uersus:

«*Osus* plena notat, *-bundus* similat, *-bilis* aptat»,

sed de terminatis in *-bundus* ad 306 regulam te remitto, non praetermissurus de terminatis in *-ilis* elegantias.

[3] 314. Nomina secundum Laurentium Vallensem, libro I^o, capitulo X, «Quae in *-tilis* uel *-silis* uel *-xilis* exeunt, simillimam significationem suis participiis, unde nascuntur, habent: *uas fictile* quod a *figulo, fictum est*, non quod fingi potest; *coctiles lateres*, qui cocti, sed non crudi sunt; *rasiles*, calati quasi rasi nihil extantis redundantisque plenitudinis. Virgilius tamen ait (*Georg* 2, 449):

"Et torno rasile bixum",

quasi rasibile. (2) Et ita de *sili*, id est suspenso in aereque pendente, *flexili, tortili, tornatili*, id est tornato et torno facto; *textili, sutili, sculptili, altili*, id est alto siue alito et saginato; *structili*, id est non ex uno lapide, sed ex multis structo; *aptili, tinctili* et *tonsili*. Et haec nomina in participium passiuum resoluuntur, quia passiuum habent. (3) Quae uero passiuo carent in praesentis participium, qualia sunt neutra, ut *anima uolatilis*, quasi uolans, *sessiles lactucae*, quasi sedentes; quod licet a participio non ueniant, tamen eiusdem sunt naturae, cum in significatione consentiant a supinoque nascantur; *uersatilis scaena* significat quia huc illucque uersatur, non quod uersata est, et *axis gladiusque uersatilis*. Aiunt quidam *uersilis scaena* et *ductilis*: *uersilis* quidem quod cum tota machinis conuerteretur quibusdam, aliam faciem picturae ostenderet; *ductilis* uero cum tractis tabulatis hac atque illac interior picturae species nudabatur. (4) *Vpupe crista plicatilis*, quae plicatur, non quae plicata est, et *nauis plicatilis*, quae plicatur ex coriis, cum facta est; *fissilis arbor, fissile lignum, fissile robur*, tum quasi fissum, *cuneus* enim dicitur fissile lignum, tum quia finditur quasi fissibile; *solutilis* etiam *nauis* dicitur, quasi solubilis, quae facile solui posset. Ego uero malim *solutilem solutam* dicere et non *consultam* fideliter. (5) Et *sectile porrum* legimus, non tam sectibile quam sectum et sua sponte concisu, cum sectum concisumque uideatur; *futilis*, uanus et inutilis; *umbratilis*, quasi umbratus, ut *uita umbratilis* et *res umbratilis*, id est uita umbra et opaco marcescens, et *res* per inuolucra et inanitatem, qualis umbra est, *ductae umbratiles* appellantur. (6) *Aquatilis* a nomine uel a uerbo anima in aqua degens; *saxatilis*, incola saxorum piscis; *pluuialis aqua* uel a *pluo* uel magis a *pluuia*». De hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, libro primo, capitulo X^o, plene dico.

[4] 315. Omnia nomina uerbalia praememorata in *-bilis* terminata et omnino in *-ilis*, penultimam corripiunt. Priscianus enim dicit in III^o (4, 24): «I longam habent omnia in *-lis*, quae ex nominibus deriuantur, nec non in *-ile* neutra», et cetera, nam in *-ilis* desinentia uerbalia siue participalia corripiunt eandem *-i* penultimam, ut *fero, fertilis, utor, utilis, uolo, uolatilis, textus, textilis, altus* uel *alitus altilis, futio, futilis*. Ex quo compositum est *effutilis*. Cetera quoque omnia *-i* penultimam corripiunt. Hoc *Doctrinale, Catholicon, Aegidiusque* confirmant.

[5] 316. Omnia nomina uerbalia in *-bilis* desinentia *-a-* ante *-bilis* in mediis syllabis habentia, illud *-a-* producant, ut *amabilis, arabilis, hortabilis* et *auxiliabilis* Dixi in mediis, ad oppositionem de *stabilis* et de *dabilis*, si reperiatur amouendam. Hoc Priscianus III^o maioris et *Doctrinale* in principio primarum mediarumque syllabarum, et Aegidius, capitulo 25, probant. Ex quibus innuitur *flabilis* in prima debere produci. (2) Quae uero *-i* habent in antepenultima sita in medio eam corripiunt, Prisciano teste, sed in uerbis coniugationis quartae, ut et in *possibilis*, antepenultima secundum *Doctrinale* uariari potest. Quod et de *-i* ante *-bilis*, ut *scibilis*, in principio posita dici posset, licet secundum Aegidium prima secundum futurum indicatiui sit regenda, ut *ibo, ibilis*, et inde *transibilis, praeteribilis*, et *quibo, quibilis* et *nequibo, nequibilis*, et *scibo* secundum futurum antiquum *scibilis*. (3) Quod si *-i* non habuerint, certa regula secundum Petrum Heliam dari non potest, sed pro natura uerborum unde descendunt uel corripi uel produci debent. Vel secundum Aegidium, si ueniant a uerbis futurum indicatiui in penultima longum tenentibus, antepenultima allongabunt, ut *flo, flabo, flabilis*. *Stabilis* excipitur, sed *dabilis*, sicubi reperiatur, cum penultima de *dabo, -bis* breuietur, et antepenultima de *dabilis* breuianda foret. Et de *fleo, flebo, febilis* producenda, cum *flebo* in penultima prolongetur. (4) Ad secundum membrum huius regulae confirmandum Priscianus facit in III^o (4, 27): «Quae uero a uerbis secundae uel tertiae uel quartae coniugationis nascuntur, si habeant antepenultimam *-i* eam quoque corripiunt: *doceo, docibilis, credo, credibilis, utor, utilis, utibilis, sentio, sensilis* uel *sensibilis*. Sciendum tamen quod plurima nascuntur ex his coniugationibus quae antepenultimam *-i* non habent, ut *docilis, habilis, flebilis, nobilis, uolubilis, utilis*». (5) Petrus Heliae super III^o Prisciani dicit idem. Aegidius capitulo 26, in *-i* ante *-b-* haec refert, et adiicit: «De aliquibus tamen habentibus *-i* antepenultimam dicit ipse Petrus Heliae quod non potuit dare aliquam regulam, nisi quod corripiunt uel producant antepenultimam ex qualitate uerborum ex quibus descendunt, ut quoniam *flebilis* deriuatur a *flebo*, antepenultimam habet productam, nobis uidetur ex hyposthesi sua, quod si talia uerbalia descendant a uerbis habentibus futurum indicatiui in penultima longum, ipsam antepenultimam producant, ut *transibilis* antepenultima producta de *transibo, nequibilis* de *nequibo*. Iungatur *possibilis*». (6) *Doctrinale* in capitulo X^o (10, 2.052-53):

«Ante *-b-* fit breuis *-i-*, sed compositiua notabis

Quae dat quarta solent uariari *possibilisque*».

Catholicon diuersis in locis.

[6] 317. Nomina uerbalia in *-bilis* terminata passiuam significationem habentia post se datiuum casum regunt et plerunque uerbo substantiuo mediante, ut *ego sum amabilis tibi, tu es docilis illi, hic liber est legibilis omnibus, ille est audibilis nobis*. Adeo ut uerbum substantiuum semper exprimi uel subintelligi debeat, saltem eius participium. De substantiuo uerbo expresso data sunt exempla, dentur de subintellecto uel eius participio, ut *ego exorabilis bonis satis demens esse puta*. Hic *sum* potest subintelligi postquam post uerbum *bonis* colum fiat, secus *ens* subintelligendum est. (2) Dixi nomina uerbalia propter nomina simplicia seu a uerbis non formata, ut *debilis, nobilis*. Deinde in *-bilis* terminata propter in *-or -rix*que desinentia, quae potius genitiuum exigunt. Item passiuam significationem habentia, propter ea quae absolutam significationem habent, uelut quae per uerbum passiuum exponi non possunt, ut *risibilis*, id est aptus ridere. Ideo non recte diceretur *tu es mihi risibilis*. (3) Nec abs re dixi nomina uerbalia in *-or* uel *-rix* terminata potius genitiuum exigere, nam et cum datiuo acquisitiue mediante substantiuo uerbo possunt construui, ut *ego sum amator illi*, maiorem tamen cum genitiuo quam cum datiuo constructionem nanciscuntur. Ideoque magis cum genitiuo ex ui actus conuersi in habitum construuntur. Et haec a Prisciano, II^o minoris (18, 25), et a *Doctrinali* in VIII^o (8, 1.213) et ab utriusque glosatoribus in eisdem locis robur accipiunt.

[7] 318. Nomina proxime dicta etiam sine casu quandoque ponuntur, ut *homo mirabilis, celebratio memorabilis, nihil est honesto honorabilis*. Nicolaus enim Perottus in capitulo de nominibus uerbalibus, prope finem ait (fol. k1r.): «In *-bilis* uerbalia passiuam habent significationem et datiuo iunguntur, ut (Verg. *Aen* 3, 621)

"Nec dictu effabilis ulli"

Aliquando etiam sine casu ponuntur, ut *haec res est laudabilis et nihil est amabilius uirtute*.

CXVI. De nominibus uerbalibus in -dus terminatis.

[1] Nomina uerbalia in -dus terminata secundum 319 regulam a uerbis transitiuus, nunquam autem absolutis oriuntur. Nullus enim *eundus, dormiendus, quisciendus, currendus* ait, sed *amandus, arandus, argiendus, sequendus*. Et haec unam magisque passiuam significationem habent, nam per uerbum passiuum et *dignus, -a, -um* interpretari solent, et per *quis* uel *qui* et *debet* fieri potest interpretatio. (2) Quid enim est *amandus* nisi dignus amari uel qui debet amari? Et quid est *amanda est mater dei* nisi digna ut ametur uel quae amari debet? Item *honestum est colendum*, id est dignum ut colatur uel quod coli debet; et *faciendus est*, id est dignus fieri uel qui debet fieri; *sequendus*, id est dignus ut sequamur; *loquendus*, id est dignus ut de eo loquamur aut quem sequi loquique debemus. (3) Cum autem participiis futuri temporis passiuus sint similia, eorum instar formantur. Formantur enim a nominatio participii praesentis temporis per mutationem de -s in -dus, ut *amans, -s* in -dus fit *amandus, docens, -s* in -dus, *docendus*. Ab eo composita excipio, quae propter irregularem genitiui formationem a genitio per mutationem de -tis in -dus haec uerbalia concipiuntur, ut *transiens, transeuntis, transeundus*. (4) Eo autem cum neutrum absolutum sit, tale uerbale habere nequit. Vel, ut generaliter omnia complectamur, dicimus formationem talem a genitio participii praesentis temporis per mutationem de -tis in -dus fieri posse, ut *amans, amanti, -tis* in -dus fit *amandus, -a, -um*. (5) Huius regulae comprobatio a 4^o et 8^o Prisciani (4, 33; 8, 45) Petrique Heliae, et expositorum aliorum peti possunt, quibus *Catholicon* in 3^a parte sui operis, capitulo *De denominatiuis*, § *In -andus*, adiicio, ubi sic inquit (3, 39): «In -andus et in -endus est forma participialis, id est terminationem habet participiorum futuri temporis passiuorum, et dignum passiuae significat, ut *creandus*, dignus creari, *ordinandus*, dignus ordinari, *legendus*, dignus legi, *loquendus*, dignus de quo loquantur homines». (6) De his autem cum differentia inter gerundia et uerbalia participiaque in -dus terminata similitudineque inter ipsa et significatione constructioneque ipsorum, supra, regula 275, plenius deissero et Prisciani textus in III^o et VIII^o, supra, 278 regula, memorati, uideantur.

[2] 320 regula. Huiusmodi nomina uerbalia passionem denotantia more participiorum passiuorum in -dus desinentium cum ablatiuo mediante *a* uel *ab* uel datiuo loco ablatiuo posito construuntur, ut Petrus Heliae 2^o minoris, circa finem, carta scilicet antepenultima, dicit expresse, supra, ante finem regulae 275, textum reperiens. Sed plerunque, id est fere semper, saltem in nomine uerballi, cum datiuo inuenitur constructio. In participio uero cum ablatiuo proprie et cum datiuo figurate. (2) Vnde Priscianus 2^o minoris, § *Et postremo*, carta V, hanc regulam et 317 confirmantem, dicit (18, 25): «Et postremo omnia uerbalia in -dus uel -lis desinentia futuri participiis similia datiuum asciscunt, ut *mirabilis, legibilis, orabilis, amabilis mihi est, penetralis* uel *penetrabilis, extricabilis, sic dicendus, amandus, docendus* et similia; *docilis* et *docibilis*, sed *docilis* qui facile docetur, *docibilis* qui facile discitur, quomodo *penetralis*, qui intimus est partibus, *penetrabilis*, qui facile penetratur». (3) Laurentius autem de Vallae libro 6^o, capitulo 26^o, Prisciani textum hunc referens, cum correctione quadam subiicit: «Non occurrit ubinam legerim scriptum *docibilis*. Est enim consuetum magis *perceptibilis*, nisi apud ecclesiasticos atque in alium sensum. Et *erunt docibiles dei* dictum est quasi dociles. Nam Ciprianus super illud Pauli episcopum non litigiosum, non contentiosum, sed mitem et docibilem esse debere ait. *Docibilis* autem ille est qui est ad discendi patientiam lenis et mitis. (4) Hoc, ut ego sentio, idem est quod *docilis*. Ratio tamen postulat ut id significet, quod Priscianus ait, eo quidem magis quod magis in eodem sensu *docilis* habeamus, ut superuacuum fuerit duas uoces adeo confines uni significationi dare. Nisi dicamus simile hoc illis esse *aequale* et *aequabile*, de quibus alio dixi uolumine. Insuper *sensile* et *sensibile*. (5) Et *sensibilis* pro *intelligibilis* staret potest, ut Priscianus in prohemio minoris accipit, ubi etiam aptam structuram pro ordinationem ponit, ibi: "Igitur manifestum est quod consequens est, ut etiam dictiones, cum sint partes per constructionem perfectae ordinis, eadem aptam structuram, id est ordinationem, recipiant, quod enim ex singulis dictionibus paratur. *Sensibile*", -id est intelligibile-, "quodam modo elementum est orationis perfectae". (6) Praeterea *exiciale* et *exicabile*, *rationale* et *rationabile*. Porro *penetralis*, quantum mea fert opinio, non reperitur, sed *penetrabile*, substantiuumque, non adiectiuum. *Penetrabilis* adiectiuum, qui facile penetrat, tum qui facile penetratur. Seruius (*Aen.* 10. 481): "Quod penetrat", -inquit- *penetrabile* dicitur". Quod autem penetratur, *penetrabile*. In quorum priore dissentio, cum non sit neque adiectiuum, ut ipse exponit *penetrabile frigus*, pro *penetrabile frigus*, neque significationis actiuae. Denique, ut ad *docilis* reuertar, *docillimus* mea sententia faciet potius quam *docilissimus*, qualia sunt *facilis, gracilis, agilis, similis, humilis*». (7)

Nec textus Prisciani super uerbalibus nominibus in *-dus* terminatis praeallegatos passim praetereas, nec eum quem idem Priscianus in 8^o, in fine cognationis temporum sic scribit: «Sciendum quod huius formae participia in *-dus* terminata etiam nomina esse possunt». (8) *Doctrinale* in 8^o, sub datiu dicit regimine (8, 1.213-14):

«In *-bilis* aut in *-dus* uerbalia iungis eisdem

Sic: *nobis Christus amabilis est et amandus*»,

et utrobique scribentes, inter quos Ioannes de Croccho super textu ipso *In -bilis aut in -dus*, sic ait notabiliter: «Sed forte modo quaeret aliquis de uerbalibus in *-dus* quomodo poterit haberi cognitio quod sint uerbalia nomina uel quod sint participia. (9) Ad hoc respondet Priscianus dicens in 2^o minoris quod si terminata in *-dus*, de quibus est dubium an sint nomina uel participia, resoluantur per *dignum* uel *debitum*, tunc sunt nomina uerbalia et construuntur cum datiuo, ut *amandus illi*, id est dignus amari, et sic de aliis. (10) Si uero resoluantur participia per nomen infinitae substantiae, quod est *qui*, et per uerbum a quo descendit eiusdem temporis, sic sunt participia et construuntur cum ablatiuo mediante praepositione *a* uel *ab*, sicut uerba passiuia a quibus descendunt, ut *iste est amandus a me*, id est qui amabitur a me, et sic de aliis. (11) Item quaeritur per quam naturam tali uerbalia cum datiuo construuntur. Dic quod uerbalia in *-bilis* aut in *-dus* desinentia significant passionem, quae passio potest comparari ad aliud tanquam ad id, ut cui acquiritur. Et quia datiuus habet habitudinem, ut cui immo cum eo construuntur. (12) Item quaeritur quare uerbalia in *-or* uel in *-o* uel in *-rix* desinentia non construuntur cum datiuo sicut uerbalia in *-bilis* aut in *-dus*. Ad hoc dicendum quod id quod supponis falsum est, quoniam bene potest dici *iste est amator illi* uel *amatrix illi*, dum tamen dicatur acquisitiue. (13) Immo credo quod pauca sunt nomina, quae possunt construi cum genitiuo, quin possint construi cum datiuo acquisitiue mediante uerbo substantiuo, tamen maiorem constructionem habent ista uerbalia cum genitiuo quam cum datiuo, unde construuntur cum genitiuo ex ui actus conuersi in habitum, ut dictum fuit superius. Ideo non datur hic de ipsis regula, sicut de aliis in *-bilis* et in *-dus* terminatis, cum communiter non construantur cum datiuo, sed potius cum genitiuo». (14) Idem Ioannes de Croccho, circa finem lectionis quaerit: «Quaere nomina uerbalia in *-bilis* et in *-dus* desinentia construuntur cum datiuo? Respondeo, et dico quod talia uerbalia significant passionem et hoc patet per Priscianum qui sic exponit (18, 25): "*Penetrabile*, quod penetrabitur, *amandus*, dignus amari", unde cum passio acquiratur alicui et datiuo fit acquisitio patet quod illa debent construi cum datiuo. (15) Item quaeritur quid operatur ad hoc in tali constructione uerbum substantiuum?» Refert Ioannes opiniones duas, secunda est, et melior, quod possessiuum nomen uel aliud de se facere non potest, id mediante uerbo substantiuo facit, unde *equus illi* non bene dicitur, sed *equus est illi*.

[3] Quod autem participium in *-dus* terminatum instar uerbi passiuo unde descendit, cum ablatiuo proprie et cum datiuo figurate construat declaratur Priscianus in 8^o, 11^o primoque minoris, cuius textus supra, in hoc libro, circa finem regulae 266, reperies, ubi textus XI^o libri notes potissimum (11, 4): «Et actiua quidem plerumque accusatiuum sequuntur, passiuia uero ablatiuum uel datiuum figurate, genitiuo uero admodum pauca». (2) Idem Priscianus ultra textus illos in 2^o minoris, V^a carta, ante finem § *Passiua ablatiuo*, dicit (18, 133): «Passiua ablatiuo uel datiuo transitiuo adiunguntur, ut *doceor a te et tibi, uideor ab illo et illi*. Similiter passiuam uim habentia neutralia, ut *uapulo a te uel tibi, exulo a te et tibi, nascor, pascor*». (3) Idem in eodem, carta finali, § *Neutra et deponentia*, sic corroborando adiicit (18, 155): «Sed haec eadem, id est neutra uel deponentia, cum passionem significant, passiuorum constructionem sibi defendunt, id est ablatiuo uel datiuo coniunguntur, ut *a te fio doctus, uapulo ab illo, exulo, nascor, patior*». Et scribentes in his Prisciani libris id confirmant. (4) Item et *Doctrinale* in datiuo regimin (8, 1.224):

«Saepe resoluis in ab huic uisus, uisus ab illo»,

demum hic glosatores uideantur. (5) Ex quibus omnibus consequens est talem regulam elici: datiuum causam efficientem notans, non autem rem cui fiat acquisitio, in locutione ordinatur cum uerbo passionem significanti uel eius participio et cum uerbo passiuiae uocis impersonali in ablatiuum *a* uel *ab* praepositione mediante, resoluitur, ut *uideo illi* pro *ab illo, uisus tibi* pro *a te, uidetur tibi* pro *a te, exulo regi* pro *a rege, nascor matri* pro *a matre, Christus natus est uirgini* pro *a uirgine*. (6) Nec mirum dictum esse datiuus causam efficientem notans et cetera, nam si datiuus non efficientem causam, sed rem cui acquiratur denotarit, ut *lectio legitur pueris a magistro* locum regula non habebit. Hic itaque *pueris*, id est *a pueris* exponi non potest, pueri nanque non sunt causa passionis efficiens, sed hos dicunt quibus legendi acquiri debet utilitas, et hoc in expositione nosci potest, nam si datiuus persona fiat agens, in ablatiuum habet locum

resolutio, ut *opus pronominum scribitur mihi*, id est ego scribo opus pronominum. Tunc enim datiuus pro ablatiuo collocatur, nisi nanque datiuus causam efficientem passionis notet, in ablatiuum nullatenus resoluetur. (7) Hic autem eo quod datiuus pro ablatiuo ponatur, figura fit antiptosis, quae est casus pro casu positio, non autem uerbi participiue respectu, cum utrunque cum utroque casu proportionabiliter ordinetur, sed propterea quod modus ut cui pro modo ut a quo poneretur. (8) Causa uero propter quam datiuus pro ablatiuo surrogetur duplex assignatur, prior, nam Graeci ablatiuo carentes genitiuum datiuumue ponebant, id quod et antiquissimi Latini faciebant, quorum uirorumque imitatione nos facimus. Altera causa est sententiae expressio. Quis enim quandoque se uult ostendere causam efficientem cuiuspiam passionis esse et passionem ipsam seu ex illa passione sibi acquirere, ut si dicatur *legitur mihi*, id est a me, propter datiuum in ablatiuum resolutionem denotatur, quod ego causa sum efficiens, sed quia *mihi* ponitur in datiuo, cum datiuus acquisitiuus sit, significatur quod ego mihi talem passionem acquiram, nam sensus esse potest *legitur mihi*, id est ego lego utilitatem in legendo mihi acquirendo.

CXVII. De denominatiuis nominibus uerbalibusque.

[1] 321. Denominatiua uerbaliaque in *-rus* terminata pauca sunt, sed a nominibus aut uerbis, addita uel *-us* uel *-rus* formantur, siquidem denominatiua, *-us* adiecta, ut *honor honorus, odor odorus*. Verbalia uero, *-rus* apposita, ut *cano canorus, sono sonorus*, et utraque penultimam longam habent. (2) Haec Priscianus confirmat in III^o (4, 30) et *Doctrinale* in X^o quo ad tempus (10, 2.157):

«Deriuata palam produc, patet ecce *sonorus*»,

secundum quam regulam, Tortello iuncto, *Isidórus, Cassiodórus, Diodórus, Methadórus, Heliodórus, Poliodórus, Caliodórus, Theodórus* hominum propria in penultima producuntur, ut Helorus fluuius, Virgilius III^o *Aeneidos* (3, 698):

«Ex supero propingue solum stagnans Helori»,

et *Pelorus* mons Siciliae. (3) Ioannes de Garlandia et Aegidius hoc testantur et adiiciunt: «*Amórus, Sicomórus* et *Altisodórus*, sed *Christóforus, Gaudóforus, elleborus, mandragora, Zémora* quae ciuitas in Hispania fertilis et omnibus bonis insignita est, *Léctora*, ciuitatis nomen, *Melora* locus iuxta Pisanum portum et *Theódora* antepenultimam corripunt. (4) *Catholicon* tenet *Helidorum* et *Theodorum* penultimam corripere, sed non bene, et econtra Aegidius aliosque puto dici *Theodora* in penultima debere produci propter compositionem a *theos* et *doron*, quod est *donum*, ut *Theodorus*. Hac de causa secundum Ioannem Aretinum producit penultimam. (5) De hoc Aegidius in *-o- ante -r- in mediis*, plene dicit, sed ego plenius in *Doctrinali* meo. Super hac regula *Catholicon* in 3^a parte, capitulo *De denominatiuis*, § *In -rus desinentia*, et in 5^a, in uerbo *canorus* et in multis aliis uerbis inuenies.

[2] 322. Nomina uero denominatiua uerbaliaque in *-rium* terminata multa sunt: *locum repositorium*, id est ubi res reponuntur, significantia. Nam secundum Laurentium Vallensem, libro I, capitulo VIII: «*Tabularium* locus est ubi tabulae, id est instrumenta et litterae, reponuntur; *sacrarium* repositorium sacrorum; *aerarium* repositorium aeris, id est nummorum, similique rerum preciosarum atque opum; *armarium*, ubi reponuntur libri ceteraque huiusmodi; *armamentarium*, ubi reponuntur armamenta et arma; *atramentarium uasculum*, quod continet atramentum; (2) *calamarium*, quidam usurpant calamaria pro theca in qua calami reconduntur, sed quia hoc tempore plerique penna scribunt, potest etiam dici *pennarium*, nisi malumus appellare *thecam pennariam*, ut *thecam calamariam* et *thecam graphiariam*; *penarium*, ubi reponitur penus, hoc est aedulia et ad uictum pertinentia; *uiuarium* ubi continentur uel auis uel pisces uel fere quae duntaxat ad uictum spectant; (3) *pomarium*, locus pomorum reponendorum uel locus pomis consitus, quidam hoc *pomerium* uocant, Titus autem Liuius (1, 26, 7) *pomerium* ait esse locum ad muros intra et extra, in quo aedificare non licet, quasi post moenia, ut dicimus *pomeridianum*». (4) Nicolaus Perottus in ultima parte, § *Pomariolum*, carta 115, haec referendo confirmat (fol. p1r.): «*Pomarium* igitur aut locus frequens arboribus pomis seu fructuum pomi repositorium aut copia ipsa arborum pomiferarum. Nam horum nominum natura est significare uel locum, ubi illa sunt, uel ipsarum rerum quae in loco sunt copiam, ut *aluearium*, tametsi potest dici locus, ubi sunt aluei apium, tum potius pro copia alueorum eodem in loco collocatorum mellificantiumque accipitur. (5) *Rosarium* magis copiam fruticum uno loco rosas gignentium quam ipsum locum, ubi hi frutices sint, significat, quem locum ne *rosetum* quidem appellare possis, cum idem significet quod *rosarium*, nisi per contentum significetur continens. *Plantarium* non locus plantarum, sed ipsae plantae, etsi auulsae aut non consitae fuerint. Et secundum Seruium 2^o

Georgicarum. "Plantae sunt raptae de arboribus, plantaria uero ex seminibus nata cum radicibus et terra propria transferuntur". Vnde Virgilius in eodem (*Georg.* 2, 27):

"Et uiua sua plantaria terra".

(6) *Seminarium* non locus, sed semen ipsum, id est plantulae. *Pampinarium* non terra ubi nascuntur pampini, sed congeries papinorum, id est uirentium uitis ramusculorum, uelut ait Plinius (17, 181): "Palmet, qui e duo exit materiamque in proximum annum promittit, *pampinarium* uocatur". Certe in hoc palmitae multi sunt pampini. *Calcearium*, uestiarium pro calceis et uestibus, ut *cibaria* pro cibis, *fustuarium* pro fustigatione. *Carnarium* non locus ubi caro salsa suspenditur, sed caro ipsa, nisi contentum pro continente. *Donaria* non locus repositorius donorum, sed ipsa dona, licet Seruius (*Aen.* 2, 269) dicat ubi dona oblata sunt, sicut *lectiscernia* dicuntur ubi homines in templo sedere consueuerunt».

[3] 323. Verbalia neutra in *-orium* terminata locum ubi fit aliquid plerunque significant, ut *deambulatorium*, *dormitorium*, *repositorium*, *tentorium*, *auditorium*, *tectorium* illinimentum est et quasi pauimentum parietis atque incrustatio. *Amatorium* genus ueneni amorem uel insaniam ingerentis. (2) *Portorium* uectigal portus uel fluminum uel lacuum uel stagnorum. Nam et *portitor* ille dicitur qui traducit homines et uehit nauigio uel ad nauim de litore uel de naui ad litus uel ad ulteriorem fluminis, lacus stagniue seu ripam seu litus, licet *litus* dicatur frequentius. Et pro eo potest accipi qui portorium conduxit, id est qui fructus pecuniarios conduxit ex portu et eos a uenientibus exigit.

[4] 324. Denominatiua et uerbalia in *-rius* uel *-ria* terminata multa sunt, quae communia officia qualitatemque et actionem possessionemque significant, ut *caprarius*, *capraria*, *saltuarius*, *camparius*, *orrearius*, *classarius* custos exaratorue caprarum, saltus, campi, orrei, classis. *Sagarius*, *lentearius*, *uestiarius*, uenditor saporum, linteorum, uestium. *Proprietarius*, *fructuarius*, *usuarius*, cuius est proprietas praedii, fructus, usus. Quae omnia actionem passionemque significant, quae numero compraendi non possunt. (2) Pauca uero quae passiuue sumuntur: *legatarius*, *commodatarius*, *depositarius*, *beneficiarius*, *fideicommissarius*, qui legatum, commodatum, depositum, beneficium, fideicommissum accipit, et siqua sunt alia. (3) Nam secundum Nicolaum Perottum (fol. f9u.): «*Legare* est mittere, unde dicuntur *legati* quod oratores, hinc etiam dicuntur *collegae*, quasi simul mitterentur ad idem officium. Item *legare* est in testamento relinquere, unde dicuntur *legata*, id est relicta, et *legatarij*». (4) Ex huiusmodi nominibus etiam quaedam nomina rerum fiunt: *calcaria*, *sulphuraria*, ubi calx coquitur sulfurque conficitur. Ac haec a nominibus fere prodeunt, illa uero magis a uerbis uel a uerbalibus in *-or*, quae sunt adiectiua certe in *-orius*, *-a*, *-um* actionem significantia: *accusatorius*, *petitorius*, *defensorius*, *fideiussorius*, *tributorius*. (5) *Tributarius* enim a *tributum*, *tributorius* autem a *attributum* uenit, significat itaque *tributarius* qui soluendo tributo obnoxius est, ut *stipendiarius* qui soluendo stipendio, et *depositarius* qui reddendo deposito, ut *munerarius*, qui munus pro populo dat gladiatoribus in arena exhibendis. (6) *Oliitor* autem est qui olerum ortum exercet, quem non nulli *ortolanum* aiunt. Est autem olus unaquaque herba qua uescimur. Nam sunt et orti non olerum, sed arboribus consiti uoluptatis gratia comparati. *Lictor* minister consulis, proconsulis, praesidis, praetoris, qui fascem uirgarum alligatum cum securi portat, suntque lictores consulis duodeni, aliorum seni.

[5] 325. Nomina in *-etum* terminata locum ubi arboris fruticesue fiunt significant, ut *oliuetum*, quod est locus ubi oliuae crescunt. Mons autem *Oliueti* iuxta Hierusalem situs, ita propter oliuarum copiam nuncupatur. *Dumetum* locus est ubi dumis surgunt; *spinetum*, ubi spiniae; *uepretum*, ubi uepres, similiaque. *Senticetum*, tamen non *sentetum* dicimus.

[6] 326. Quaedam sunt nomina uerbalia in *-us* terminata, quae non ex se, sed ex aliis quae in usu non sunt, ac nec esse possunt, comparatiuos ac superlatiuos gignunt, ut *honorificus*, *magnificus*, *munificus*. Non enim *honorificior*, *honorificissimus* dicimus, ut nec in aliis, sed ex *honorificens*, *magnificens* et *munificens* in comparatiuo *honorificentior*, *magnificentior* et *munificentior*, et in superlatiuo *honorificentissimus*, *magnificentissimus*, *munificentissimus*. (2) *Mirificus* tamen *mirificissimus* facit, ut Terentius (*Phorm.* 871-72):

«Mirificissimus est patruus tuus»,

et M. Cato (*Orat.* 180), teste Prisciano (3, 14), «Contra Therinum de Ptolomeo rege optimo ac beneficissimo excellentissimoque honore». Omnia ergo a *facio* sic composita ac terminata hanc regulam sequuntur. *Mirificus*, *beneficus*, *maleficus*, *ueneficus*, *uulnificus*, *sacrificus*, et siqua sunt alia, quae omnia asciticium comparatiuum superlatiuumque habent, aliquando etiam suum. (3) Et eiusdem naturae sunt qua a *dico*, *loquor* sequorque formantur. *Benedicus* autem non inueni, quia nec *benedico* inuenitur, licet eo Priscianus utatur, et hoc tempore utamur more Graecorum, quorum auctoritate huic uerbo praeter naturam suam accusatiuum dedimus, cum datiuum petat, sicut *maledico*, quod et ipsum nunc ad imitationem Graecorum, etiamque quandoque accusatiuum habet. A *loquor* autem plura sunt, a *sequor*

fortasse nulla nisi *pedisecus*, quod substantiuum est. (4) Confirmationem 322 regulae usque ad praesentem a Laurentio Vallensi, libro I, capitulo 8^o, scilicet de exeuntibus in *-rius* uel *-rium*, et capitulo 12^o, scilicet de exeuntibus in *-cus* quomodo comparatiuos et superlatiuos faciant, repete. (5) *Catholicon* tamen dicit in *pedisequus*: «*Pedisequus, -qua, -quum*, qui sequitur pedes domini sui. Et *haec pedisequa, -quae* pro seruitute ipsa uel ancilla. Etiamque *hic pedisequus* pro seruicio uel famulo. Vnde III^o *Regum*, XX^o capitulo, dicitur (*Reg. 3, 20, 14*): "Per pedisequos principi prouinciarum". Et per *-q-* scribitur, a *pes* et *seco, -cas*, componi uideretur». Vel dic secundum Hugutio quando est *sequitur* per *-c-* debere scribi, per *-q-* uero si uocalis altera subsequatur, sic enim uidetur esse sonorius. Concludit tamen *Catholicon* quod ubique per *-q-* scribi consueuit, et hoc potius tenendum esse censerem.

CXVIII. De nominibus denominatiuis.

[1] 327. Nomina denominatiua in *-eus* terminata materiam significantia ex maiori parte non totalem, ut materialia in *-eus* desinentia, pauca sunt, ut *herbaceus, betaceus, maluaceus, harundinaceus, ferulaceus, rosaceus, triticeus, ordeaceus, testaceus, tofaceus, arenaceus, cretaceus, argilaceus* ex materia herbae, betae, maluae, harundinis, ferulae, tritici, ordei, rosae, testae, tofi, arenae, cretae, argillae. (2) Quae profecto a materialibus in *-eus* terminatis differunt, cum haec partem, illam uero magis totum significant. *Ager enim cretaceus* non idem est quod *creteus*, nec *harundinaceus surculus* quod *harundinae fistula*, unum est natum et positum in creta aut harundine, alterum ex corpore ac materia cretae et harundinis facta. (3) Et *panis triticeus ordeaceus*ue non ex solo tritico ordeoque compositus est, sed ex aqua quoque. Huius generis est *uinaceus*, cum est adiectiuum, *ex uinaceo grano quendam legimus suffocatum*, et hoc pro acino uuae. Et *uinacea* substantiuum plurale pro granis uuae iam pressae. *Mons terrenus* tamen potius quam *terreus* ac *terraceus* dicimus.

[2] 328. Nominum in *-cius* finitorum et ab habentibus *-t-* in syllaba postrema descendentium una denominatiua sunt a nominibus descendente materiaque notantia. Altera uerbalia uelut a supinis profecta passionem quandam significantia. Priora quidem sunt, ut *craticius, stramenticius, latericius*. Altera sunt, ut *foeneraticius, conducticius, ascripticius, dediticius*. (2) *Ratio ficticia ac commenticia*, quae ficta et ad tempus commenta et excogitata; *res pignoratitia aut foeneraticia*, quae data est pignori aut ad foenus pertinet; *domus conducticia*, quae conducta est; *homo ascripticius dediticius*que, qui ad aliquam rem ascriptus est et qui ex eorum est numero, qui se in alterius imperium dederunt. Hae duae posteriores regulae ex Laurentio libro I, capitulo 13, scilicet de exeuntibus in *-eus*, in *-eus*, in *-cius*, comprobantur.

[3] 329. Nomina in *-osus* terminata quaedam sunt denominatiua tantum, ut quae a nomine ueniunt; altera uerbalia solum, uelut a uerbis deriuata; alia denominata uerbaliaque tanquam a nominibus uerbisque profluentia. Quae uero descendunt a nomine, haec habitionem seu uehementiam copiamue significant, ut *animosus, ingeniosus, lacertosus, neruosus, saxosus, aquosus*. (2) Illa affectionem important, ut *uinosus, mulierosus, libidinosus, sediciosus, factiosus*. Priora nanque copiam seu uehementiam et habitionem notant, quo quis in se uehementiam copiamque animi ingenii, lacertorum, neruorum, saxorum, aquae habet. Altera uero affectum, ut quia ad uinum, mulieres, libidinem, sediciones factionesque sit affectus. (3) Verbalia uero, id est quae a uerbo fluunt, tum actionem, tum passionem, tum utrunque notant. Actionem, ut *studiosus, fastidiosus, stomachosus, iniuriosus, contumeliosus, curiosus*. Haec nanque ab auctoribus accipi semper actiue solent. Et enim pro eo qui studio dat operam, qui fastidit, qui stomachatur, qui iniuriam contumeliamque facit, qui nimis curat, nisi haec a nominibus, non a uerbis uenire uelimus. (4) Tunc enim plenitudinem dicerent, ut *studiosus* plenus studio, *fastidiosus* plenus fastidio, *stomachosus* plenus stomacho seu stomachatione, *iniuriosus* plenus iniuriis, *contumeliosus* plenus contumeliis, *curiosus* plenus curis. Nam et *fraudulosus* dicitur qui fraudem facit, licet non a *fraude*, sed a *fraudula* diminutiuo descendere uideatur. (5) Quemadmodum *meticulosus* est qui timidus est, a *meticulo*, licet Priscianus circa finem quarti dicat (4, 37): «Notandum quod a *metu meticulosus* sit, Plautus in *Mustelaria* (1.101):

"Nescis quam meticulosa res sit ire ad iudicium",

quod in tertia parte, capitulo de denominatiuis in *-us*, *Catholicon* sequitur. *Somniculosus* quoque a *somniculo*, *siticulosus* a *siticula*, *tenebricosus* quoque reperitur et *tenebrosus*, licet quaedam ab usu regulaeque abhorreant, ut *monstruosus* potius quam *monstrousus*, *saltuosus* quam *saltosus*, *tortuosus* quam *tortosus*. (6) Verum tamen quartae declinationis nomina *-u-* assumunt, ut *uultuosus, actuosus, fructuosus*. Ideoque illud in *Psalmo* (143,

13): «Oues eorum fetosae» legendum est *fetosae*, sicut ediuerso plerique *monstruosum* pro *monstrum* scribunt, Lucanus (1, 562):

«Monstrosique hominum partus».

(7) Nec modo in *-osus* uerum etiam in *-arius* nomina quartae declinationis faciunt, ut *saluarius*, *actuarius*, *usuarius*, *fructuarius*, cum nomina secundae declinationis *-u-* careant, ut *asinarius*, *campanarius*, *odiosus* et *inuidiosus* passiuē. Significatur enim odio uel inuidia habitus, non qui odit uel inuidet. (8) Haec enim certe passionem notant, cum a uerbo ueniunt, secus cum a nomine, nam odium antiquitus molestiam quoque significabat, inde *odiosus*, id est molestus. Inuidia autem praeter illam significationem notam est uel dicto uel facto in alterum maliuolentem conciliatio, ut siquis referat ostendatue calamitates suas, ut auctori calamitatum odium ceterorum concitet. Et hoc uocatur *inuidiam facere* uel *uocare* aut *adducere in inuidiam*. (9) Inde *inuidiosa res*, quae atrocitatem facti augens inuisum illud uel illius auctorem facit, et *inuidia* quasi atrocitas uel detractatio. In quam significationem accipio illum uersum:

«Inuidiam nimio cultu uitare memento»,

nam latentem inuidiam quam non deprendo uitare nequeo, sed eam quae extrinseus uel uoce uel gestu significatur, cum populus indicat se indigne ferre in aliquo nimium corporis et insolentem cultum. (10) Vnde subiicitur quae sin non laedit, tamen hanc sufferre molestum est, scilicet hanc uel uoce uel gestu uel utroque modo detractationem. Quale illud Terentianum (*Andr.* 65-66):

«Ita ut

Sine inuidia laudem inuenias et amicos pares».

Et illud Salustii (*In Cic.* 7): «Licet et Demosthene sumptum sit, inuidiam gloria superasti». (11) Verbalia uero actionem passionemque designantia sunt non nulla, ut *formidolosus*, *laboriosus*, *operosus*. *Formidolosus* enim est qui timet et qui timetur. *Voluptuosus* et *religiosus* affectionem simul et plenitudinem habitationemque significant, et actiue simul passiuēque sumuntur. (12) Praeterea *gloriosus*, *famosus*, *imperiosus* ut plurimum malum affectum dicunt. *Gloriosus* enim homo gloriae dicitur affectator, ut *uinosus* uini cupidus. Qualis apud Plautum et Terentium miles gloriosus est. Et *famosus* pro infami turpique accipitur, et *imperiosus* pro imperii ostentatore in saeuicia exercenda, qualis apud Liuium (26, 22, 9) Torquatus, qui saeuicia filium ob imperium contemptum occidit. Vnde *imperiosus* appellatus est. Verum *gloriosus* *imperiosus*que quando honestae sunt significantiae, habitationem plenitudinemque designant, quando inhonestae affectionem quidem. (13) Nicolaus Perottus, carta 130 (fol. q8u.), de his, ut *famosus*, *gloriosus* *imperiosus*que declarat. *Quaestuosus* et *sumptuosus* magis affectionem quam habitationem plenitudinemque demonstrant. *Quaestuosus* est homo audior quaestus et lucri undique lucella quaeritans. *Sumptuosus* qui sumptus est audior quam quaestus, et sumptus immoderatos facit. Quae duo magis actiue quam passiuē sumi possunt, magisque ad homines pertinent. (14) *Luctuosus* autem magis ad rem spectat, ut *res luctuosa*, id est plena luctu, nescio an liceat de homine misero et afflicto dicere *homo luctuosus*. Ab *industria* non habemus *industriosus*, sed *industrius*, nec a *uirtute* *uirtuosus*, sed pro illo tum *bonus*, tum *studiosus*. (15) De his etiam Nicolaus Perottus, ubi supra, scribit adiiciens: «*Morosus* a *more* uenit, non a *mora*. Prima enim longam habet, ut *mos*, *moris*. Sgignificat eum qui nimis exacte nimique ad unguem omnia fieri postulat, ut aliquando ob id indignetur irascaturque, ut Suetonius de Caesare: "Circa corporis curam morosior". Cicero *De senectute* "At sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles sens". (16) Denique *morosus* a nimia diligentia et seueritate dicitur, ut *curiosus* a nimia cura, quotiens plus diligentiae quam oporteat rebus uel nostris uel alienis impendimus: nostris cum minutissima quaeque disquirimus et nullius frugis; alienis cum de rebus ceterorum occultioribus non satis cum pudore perscrutamur aut interrogamus. Sed non tam a *cura* *curiosus* quam a *curia* uidetur descendere, cuius compositum *incuria*, id est negligentia, magis est in usu, *curia* licet a cura dicatur. (17) Atque ut *curiosus* a cura peruersa uocatur, ita *cerebrosus* a cerebro pertinaci. *Pannosus* est qui crasso panno ac uili est opertus, nec hoc nisi de paupere dicitur». Hanc regulam Laurentius Vallensis libro I, capitulo XXIII, refert et confirmat, de qua et antedictis in meo *Elegantiarum breuiario* cum non nullis aditamentis dixi, quae et hic maxima ex parte coniunxi.

[4] 330. Verbalia in *-sus* terminata duplicem formam habent: uel enim principalia sunt, id est participiis praeteriti temporis similia, et res incorporales notant quartamque declinationem sequuntur, ut *auditus*, *uisus*, *cursus*, *usus*, unde mobilia sunt declinationisque secundae, ut *fluxus*, *-a*, *-um*, *fessus*, *-a*, *-um* et *lapsus*, *-a*, *-um*. Vel *-o-* ante *-sus* productam habent et plenum esse aliquid eius, quod significatur, important, ut multa in proxime praecedenti regula ex antedictis relata. (2) Sunt et aliqua denominatiua in *-osus* desinentia, ut *saxosus* plenus saxis, *spinus* spinis plenus, *uentosus* uentis plenus. Horum uero sic fit

formatio, extremam nanque partem syllabae uel extremam syllabam genitiui primitiui, si pura est, in -o-producta mutant -susque assumunt, ut *saxum, saxi, saxosus, curiae, curiosus, scelus, -eris, scelerosus, numerus, -ri, numerosus, perfidia, -ae, perfidiosus, onus, -eris, onerosus*.

[5] 331. in -tus desinentia participalia uel denominatiua sunt, sed participalia seu uerbalia fixa sunt res incorporales significantia, ut *motus, tumultus*, sed denominatiua uero mobilia secundaeque declinationis sunt, ut *togatus, palliatus, tunicatus*. Sciendum autem quod si nominibus primae declinationis deriuantur, -a- penultimam productam habent, ut *barbatus, stellatus, trabeatus, purpuratus*. (2) Sin autem a secundae uel tertiae in quibusdam -a-, in aliis -i- prolongant, ut *pallium, -ii, palliatus, anuli, anulatus, manudatus* excipitur, quod habens -a- productam a nomine declinationis quartae, ut a *manus*, exit; -i- producent, ut *auitus* ab *auus maritus* a *mas, maris, Ceritus* a *Ceres*. *Vetustus libertus*que excipimus, in quibus primitiuorum nominatiui -tus accipiunt, ut *uetus uetustus, liber libertus*. (3) A quartae declinationis nominibus deriuata -u- productam ante -tus constituunt, ut *cornu cornutus, uerum uerutus, astu astutus*.

[6] 332. Participalia seu uerbalia in -ctus, -ptus, -xus desinentiae reperimus. In -ctus, ut *amicus, ductus, fluctus, fructus*. In -ptus, ut *captus, acceptus, sumptus, aptus, raptus*. In -xus *fluxus, laxus, nexus*.

[7] 333. In -stus cadentia a nominibus uerbis nascuntur extremam partem conuertentibus in -sus -e uel -u- praecedente, ut *honor honestus, moeror moestus, modus modestus, scelus scelestus, robur robustus, angustus, uenus uenustus, onus onustus, uetus uetustus*. Quae quidem omnia -tus, -as sumpta, deriuatiua faciunt, et omnia syllaba una primitiua uincunt praeter *moestus* a *moeror*.

[8] 334. Verbalia in -ax ab omni coniugatione reperimus descendere, ut a *uoro, -as, uorax, audeo, -es, audax, mordeo, -es, mordax, rapio, -si, rapax, capio, -is, capax, loquor, -eris, loquax, sequor, -eris, sequax, emo, -is, emax, pellicio, -is, pellax, sagio, -is, sagax*.

[9] 335. Verbalia in -ex breuem terminata comperimus, ut a *lateo latex, a uerto uertex, a uomo uomex*, et in -ex productam, ut *lego lex, rego rex*. In -ix feminina a masculinis uerbalibus siue denominatiuis in -or desinentibus uenientia, quae -or in -rix mutant, ut *uictor uictrix, amator amatrix, nutritor nutritrix* debuit facere, sed euphoniae causa media syllaba conciditur et *nutrix* dicitur. In -ox denominatiua uel uerbalia, ut *uelum uelox, uoco uox*. In -ux *luceo lux, duco dux*. In -unx, ut *coniugo coniunx*, et in -arx, ut *arceo arx, arcis*.

[10] 336. In duas consonantes terminata reperiuntur participalia quae sunt participia in uim nominum transeuntia, ut *amans tui, docens grammaticae, legens Bibliae, audiens diuini uerbi*. Has septem posteriores regulas *Catholicon* in 3^a parte, capitulo *De denominatiuis*, § *In -sus*, columna finali, usque ad finem confirmat (3, 39).

CXIX. De uerbis secundum Laurentium.

[1] Verba secundum Laurentium Vallensem libro III^o, capitulo 51^o: «Non nunquam uel desunt uel redundant in oratione ornate, ut Oratius (epist. 1, 5, 12):

"Quo mihi fortunam, si non permittatis uti?",

id est ad quid uis esse mihi bona fortunae? Hic modus per *quo* incipit, alius per *unde*, ut idem (*Serm.* 2, 7, 116):

"Vnde mihi lapidem? Quorsum est opus? Vnde sagittas?"

Supple *putes* uel *dicas* mihi esse. Quintilianus (Decl. 10, 5): "Vnde misere tunc unde somnium?" Supple *erat* uel *est*. (2) Tertius modus est, ut apud eundem (2, 16, 2): "Eloquentiam enim esse quae poenis eripiat scelestos, cuius fraude damnentur, interim boni, consilia ducantur in peius". Supple *dicunt enim eloquentiam*. Qui loquendi modus apud Graecos est frequentissimus. (3) Idem uerbum aliquando redundat, ut *De oratore* Cicero (2, 278): "Cum familiaris quidam quaeretur, quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu, 'amabo te' -inquit- 'da mihi ex ista arbore quos seram surculos,'" sat erat sine illo *diceret*, sed illud *diceret* libenter apponit Cicero. (4) Quartus cum suppletur *respondeo*, ut idem frequenter: "Quod autem scribis de illo aut illo negocio, ego nescio, quid consilii capiam uel ego iam ante timueram". Supple *respondeo*. Raroque uel nunquam hoc uerbum profertur. (5) Est quintus modus, ut apud Ciceronem (*De am.* 89): "In obsequio quoniam Terentiano uerbo libenter utimur, assentatio absit, ueritas retineatur". Subintellige *ita loquimur, quoniam Terentiano uerbo libenter utimur*. (6) Sextus modus, ut apud Plinium Iuniorum (2, 8, 11): "Studes an piscaris? uenaris an simul omnia?". Supple *facis*. Cui confine est illud ubi prolato aliquo aduerbio qualitatis subintelligitur pro condicione materiae aut *dixit* aut *fecit*: *bene Ennius, praeclare Anaxagoras, fortiter Scipio, prudenter Fabius*, supple *dixit* aut *fecit*, pro ut ex his quae aut iam diximus aut dicturi sumus colligitur. (7) Et per comparatiuum *dii melius*, supple *fecerunt* aut

faciant aut certe uelint. Interdum etiam per nomen, nam illud *melius* est aduerbium, ut *dii meliora*, Lucanus uerbum apposuit (3, 93):

"Dii meliora uelint".

Nec procul ab huiusmodi natura est quando utimur hoc nomine *res* siue in nominatio siue in accusatio, forte etiam in aliis casibus, ut *restat mihi exponenda uita, quam hic egit in magistratu, res digna auditu*.

[2] 338. Verba impersonalia ut *expedit* et *oportet* in tempore praesenti et hoc uerbum *est* cum *neesse* uel *opere precium* uel *utile* similibusue coniunctum cum infinitiui actiui uenustius copulatur, nam et grammaticae cum infinitiui passiuo iungi possunt, sed in tempore praeterito saepius cum passiuo, ut et in uerbo *uolo*, uel per tempus praesens, fit coniunctio, ut *expedit* uel *oportet multa legere et uidere, neesse est superflua fugere, opere precium est uirtutem complecti et amare, utile est bonos audire* (2) Haec omnia grammaticae per infinitiuos passiuos dici possunt. Saepius autem legitur *oportuit hoc gestum* quam *oportuit hoc gesisse*. Cicero *In Verrem* (2, 4, 37): «Tu id factum non oportuit». Quod et de *uolo* uel in praesenti dici potest, ut *uolumus liberis esse consultum*. Haec Laurentius, libro 3^o, capitulo 53^o, comprobatur.

[3] 339. Verbis primae secundaeque personae tam numeri singularis quam pluralis raro *ego, tu, nos* et *uos* adiungimus, quippe cum haec duo sola pronomina *ego tuque* possint subintelligi. Frustra igitur crebro iungerentur, quandoque tamen ad expressionem maiorem collocantur. Priscianus primo minoris et Nicolaus Perottus, carta 105, hoc testantur, et supra, post huius quinti principio, est relatam.

[4] 340. Venustius per primam secundamque personam huius uerbi *uideor* quam per tertiam loquimur. Vnde Laurentius, libro 3^o, capitulo 55^o, sic eleganter ait: «Non *uidetur tibi quod bene faciam* et *mihi non uidetur quod bene loquaris, sicut uobis uidetur, quod malefaciamus, ita nobis uidetur quod male faciatis*. Rusticanus hic sermo est et agrestis. Eruditi sic loquuntur: *non uideor tibi benefacere* et tum *non uideris mihi bene loqui, sicut uobis uidemur malefacere, ita nobis uidemini*». (2) Id quod Nicolaus Perottus carta 111 refert et confirmat, ibi nanque scribitur (fol. 05r.): «Quod sermo ille *uidetur mihi tibi* uel *illi* uel *nobis* uel *uobis* puerilis sit et etiam rusticanus, sed ille *ipse uideor mihi* uel *tibi, uideris illi legere, uidemini nobis malefacere*, sic elegans et ornatus».

[5] 341. «*Mihi et tibi* nunc non ad unum, sed ad omnes, nunc ad nullum referuntur. Ad omnes, ut apud Virgilium (*Georg.* 3, 436):

"Heu mihi tum molles libeat iacuisse per herbas"

"Neue tibi ad solem uergant uineta cadentem" (*Georg.* 2, 298),

hic enim sub prima secundaque persona ad omnes praecipit. (2) Ad nullum uero, ut apud Ciceronem (*Pis.* 2): "Hic mihi gloriatur se omnes honores sine repulsa obtinuisse" Et alibi idem Cicero narrans Bruto rem in qua ille non affuerat inquit (*Fam.* 7, 31, 2): "Ecce tibi Pomponius noster". Illud enim *mihi et tibi* non magis ad me uel ad te quam ad ceteros pertinet, sed est ratio sumpta de medio, quam uulgo utimur: *tu mihi semper dormis, ille mihi assidue sedet, en tibi crepuerunt fores*, is sermo nec ad me nec ad te nec ad quenquam referri potest. Ideoque ab illo Virgiliano differt, qui potest uniuersis attribui». (3) Hoc Laurentius libro 3^o, capitulo LVI^o, et Nicolaus Perottus adiungit: «Hoc est frequentissimum in omni scribendi genere, ut si dicatur *stultum est laborare dum nihil proficis*, idem est ac si diceretur *stultum est homines laborare, dum nihil proficiunt, et si tu hic sis, aliter sentias* idem est *si alii tales essent, aliter sentirent*».

[6] 342. Ablatiuus nominis temporalis non nunquam pro accusatio cum praepositione *intra* collocatur et in oratione temporali *post* saepe deest, ut *quam* pro *postquam* surrogetur, unde Laurentius Vallensis libro III^o, capitulo LVII^o, scilicet quando maiori tempore expresso partem eius accipimus et quando deest *post*, scribit hoc modo: «"Superioribus diebus ueni in Cumanum" (*Cic. Fam.* 7, 4, 1); et iterum (*De sen.* 50, 8): "Qui his paucis diebus pontifex factus est". (2) Et in futuro (*Fam.* 2, 7, 3): "Paucis diebus eram domesticos tabellarios missurus"; et iterum (*Mil.* 26): "Triduo aut ad summum quadriduo periturum". Haec Cicero et Salustius. Non est *accipiendum per superiores dies* et *per paucos, per triduum* et *quadriduum*, sed *intra superiores dies* et *intra paucos, intra triduum* et *quatiduum*. (3) Nam illud quod aliqui dicunt tempus continuatiuum et solidum significari per accusatiuum, secus per ablatiuum, plane falsum est. Cicero enim atque Virgilius saepius accusatio et quidem indifferenter utuntur, posteriores uero plerique ablatiuo. Aliquando in huiusmodi generis sermonis omittimus *post* sic: *intra decem dies quam uenit confecit omne negocium, in paucis diebus quam Rhodum appulit uxorem duxit*, id est postquam uenit, postquam appulit, quae exempla apud historicos sunt plurima».

CXX. De nisi.

[1] 343. «Diffinitiones descriptionesque per *quid nihikue* inceptae per *nisi* compleri possunt, ut *quid est animal nisi corpus cum anima concretum?* Et *nihil est aliud nisi corpus cum anima coniunctum*. Item *quid aliud est alias nisi corpus*, et cetera, uel *quam corpus*, et cetera. Et *non aliter describi potest animal nisi quod sit corpus*, et cetera, uel *quam sit corpus*, et cetera. (2) Vnde Cicero (De sen. 5): "Quid enim est aliud gigantum more bellare cum diis, nisi naturae repugnare?" Idem comparatiuum facit, ut (Cic. De fin. 4, 43) "Quid est iocundius quam honeste uiuere? uel nisi honeste uiuere?" Nam et Quintilianus ait (4, 2, 66): "Nihil est facilius nisi totam causam omnino non agere". *Praeterquam* eandem aut prope parem uim obtinet quam *nisi*, cuius exempla uelut repertu facilia paretermitto. (3) Illud unum dignum ammonitione puto: ubi *praeter* est, *praeterquam* locum habere posse, ut *nullius rei praeter tempus* uel *praeterquam temporis sum auarus, bella nulli praeterquam sediciosi et pauperi* uel *sediciosum et pauperem sunt iocunda*». Laurentius libro 3^o, capitulo 58, probat.

[2] 344. *Transfero* si dicatur de rebus animi, translationem sine amisionem significat, secus si de rebus fortuitis sermo sit. Vnde Laurentius libro eodem, capitulo sequenti, dicit: «"Quem morem Spartiatae transtulerunt in feminas" (De am. 80), et alibi idem Cicero (Tusc. 2, 36): "Quid nisi in amicitiam transferatur, quae in alios transferuntur, non solet remanere penes eos a quibus transferuntur". Mos autem, ut uult Cicero, ita transfertur, ut penes priorem quoque remaneat».

[3] 345. *Committere* non nunquam est aliquid faciendum iniungere et quasi commendare, ut *tibi hoc negocium commisi*, id est mandauit, et *commisisti mihi ut tua negocia gererem*. Aliquando *committere* praecedente negationem utque sequente uel *quamobrem*, *permittere* significat, et semper in malam partem cadit, ut *non committam, ut quispiam me contumeliis afficiat*, Cicero (?): «Non committas, ut dicendum sit, non putabam», et idem: «Non committas, ut cum omnia tibi a nobis suppedita fuerint, tibi defuisse uideare». (2) Et per *quamobrem* sic locutus est: «Considerare debes nihil tibi esse committendum, quam obrem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas». Vnde idem: «Quod ut quamobrem pollet, licebitque id tollere hocque subiicere». Ex quibus exemplis aperte declaratur hoc uerbum sequentem *ut* uel simili dictione semper in malam partem sumi. Nec recte dicatur *fac, committas ut recte uiuas*. Insuper secum semper negationem habet. Laurentius, libro 3^o, capitulo 60 et Nicolaus Perottus carta 120 probant.

[4] 346. *Oriundus* ab *orior*, id est natus uel nascendus, sed nomen est genitiuum regens. Vnde Liuius in 8^o (8, 22, 5): «Cuius erant oriundi» et in Boetio (?): «Si reminiscaris cuius patriae sis oriundus». Item et ablatiuum fere cum praepositione in personis. Liuius in primo (1, 49, 9): «Longe is princeps Latini nominis erat, si fame credimus, ab Vlixee deaque Circe oriundus». (2) In rebus siue locis ablatiuum quoque cum praepositione uel sine. Cum praepositione, ut T. Liuius (24, 6, 2): «Nati Carthagine, sed oriundi a Syracusis», id est a Syracusis originem trahentes, unde fuerunt parentes. Vel sine praepositione, ut idem (1, 20, 3): «Alba oriundum sacerdotium». Et cum indeclinabilibus copulatur, ut *inde ego sum oriundus, unde tu* Vocabulisticae *Catholicon*que et *Compraensorium* in *oriundus* et Laurentius Vallensis libro 3^o, capitulo 61^o, laudant.

[5] 347. *Memini* pro *recordor* tum genitiuum, tum accusatiuum poscit, ut Terentius (*Eun.* 801):

«Faciam ut mei et huius diei ac loci semper memineris»,

Cicero (?): «Omnia quae curant senes, meminerunt». Idem uerbum pro eo quod est *mentionem facio*, accusatiuum recusat postulatque genitiuum uel ablatiuum cum praepositione *de*, ut Quintilianus (?): «Neque omnino huius rei meminit poeta ipse»; et iterum: «De quibus multi meminerunt». (2) Laurentius Vallensis in eodem libro, capitulo sequenti et Nicolaus Perottus capitulo de uerbis, carta 56 confirmant, sed et Laurentius adiicit (fol. g5r.): «Hinc uidetur *mentio* deriuari, quas iam *meno* praesenti et geminato praeterito *memino*, unde supinum *mentum*, ex quo *mento* et *mens*, quae omnium recordatur, et *mentum* quia in facienda mentionem, hoc est in loquendo, praecipue *mento* utimur. Nullum enim animal praeterquam cocrodylus partem oris superioris mouet, sed omnia inferiorem, sicut et nos *mentum*. Hinc etiam *mentior*, quia contra mentem loquor, forte et hinc *menta* uenit».

[6] 348. *Tamen* et *sed* cum relatiuo *quis* uel *qui* tam affirmatiue quam negatiue coniungi latine reperiuntur et etiam eleganter, ut semper *talis* debet subintelligi. Vnde Laurentius eodem libro, capitulo 65^o, dicit: «*Homo illitteratus est cui tamen paucos in rerum gerendarum scientia anteponas*, latinum est; *homo illitteratus est, sed cui paucos anteponas*, etiam elegans est. Item in negatione: *homo quidem illitteratus quem tamen non postponas multis*. Ideo dixi elegans, quia subintelligitur *talis* quod in alio non fit, ut *sit homo illitteratus*,

sed talis, quem, et cetera. Vel *sed is pro talis*, ideoque et hoc eleganter dicitur: *homo illitteratus, non tamen quem multis postponas.* Aliquando nec *talis* nec *is* subintelligitur, ut *hic ager est meus, sed cuius usu careo*.

[7] 349. Eadem persona quandoque *sed* perraro tanquam alia suscipitur. Laurentius enim eodem libro, capitulo 68^o, scribit hoc modo: *Me occupato in administratione magistratus, nullum tempus seponere ad studendum poteram, uel me occupato in administratione magistratus, nullum tempus mihi reliquum erat.* (2) Rarissime Latini sic locuti sunt, Graeci frequenter. Sed hoc modo potius: *occupatus in administratione magistratus nullum tempus seponere ad studium poteram, uel occupato in administratione rei publicae nullum mihi tempus ad studium reliquum erat.* Dixi rarissime, non tamen nunquam, nam quidam sic locuti sunt, ut Oratius *De arte poetica* (174):

"Se puero, censor castigatorque minorum
Simile quiddam sapit".

(3) Quale est apud M. Tullium (*De or.* 1, 97): "Cum et per me egissem et per Drusum saepe tentassem". Illud enim *per* significare solet medium quendam aliumque intercessorem. Nunc uero qui quaeat medius esse inter se et alium? et tamen sic uulgo loquimur: *per me ipsum rogavi, per te ipsum obtinui*

CXXI. De ab.

[1] 350 regula. «*Ab* duabus liquidis *-l-* et *-r-*, et *-i-* consonanti praeponi solet, ut *ab lege, ab legatis, ab litteris, ab rege, ab rogo, ab re, ab Ioue.* Abs uero *-t-*, ut *abs te, ab Tita.* Interdum *-q-*, ut Terentius (*Ad.* 254): "Abs quibus homine beneficium accipere gratum est".

Hoc Laurentius libro II^o, capitulo 29, docet, et Nicolaus Perottus adiiciens: «Cum ceteris uero iungitur *a*, ut *a nobis, a foro.*»

[2] 351. *Ab re* secundum Facium temere et sine causa significat, quod Laurentius in primo sui *Antidoti*, in textu *quod diceret ab re esse* non admittit, sed significare dicit praeter rem et quasi indecens siue indecenter et inconuenienter. Liuius libro XXXV (35, 32, 6): «Et quanquam prope abscaesa res erat, tamen non ab re esse Quintio uisum est sociorum aliquos legatos interesse ei consilio». Suetonius *Augusti uita* (94, 1): «Et quando ad hoc uentum non abs re fuerit subtegere, quae enim priusquam nasceretur, et in ipso natali die et deinceps euenerunt».

[3] 352. *A, ex, e* et *de* non nunquam idem significare constat. Laurentius enim libro 3^o, capitulo 70, et Nicolaus Perottus carta 117 attestantur. *Audiui a patre meo* et *audiui ex patre meo* et *audiui de patre meo* idem significare inueniet qui bonos libros euoluet. Cicero tamen praecipue sic locutus est. Similiter apud eundem: *quaesui te ab hostio, ex hostio, de hostio; uocaui te a uia, e uia, de uia.* (2) Sed hoc ultimum apud eundem in alium quoque sensum accipitur, ut in *Philippicis* (?): «Cum de uia languerem, et mihimet displicerem et de re publica et quod de uia fessus essem, quasi de labore uiae. Hic enim *uia* significat iter, hoc est actionem ambulandi illic locum quo ambulamus. (3) Pro maiorem harum trium postremarum regularum intelligentiam Priscianum XIII^o (14, 31) et omnes ibi scribentes uide, inter quod Petrus Heliae in XIII fine dicit: «Est autem in compositis ab *ex* dubitatio quaedam, quando enim sequitur uocalis post eam, ita in quibusdam pronuciare consueuimus, ut uideatur *-x-* cohere sequenti uocali, ut *exaudio*. In quibusdam autem per se et quasi disiunctum ab *e* sequenti. Sed in his nihil aliud attendere debemus nisi usum et euphoniā. (4) Constat enim quod in omnibus compositis ab *ex* coniungi et litterari *-x-* cum *-e-* praecedenti debet. *Emeri* compositum est ab *e* et *merus* et pro imbecilli ponitur; *enodis* ab *enodo, -as*, extorris dicitur; *exul* ab *extra terram*; *excors* dicitur demens ab *ex* et *corde*; *exero* ab *ex* et *sero, -is, -ui*, quod modo non est in usus et ponitur pro extrahere, ut *exere ense*, et pro nudare, ut *habens manus exertas*, id est nudatas; *expedio* ab *ex* et *pedica*, quod est *pede* et *capio, -is, extirpo* ab *ex* et *stirpe* componitur pro radico». (5) *Catholicon* et *Compraensorium* de his praepositionibus et huiusmodi in suis locis dicunt, inter quae de *de* sic habetur: praepositio *de* est, et ablatiuum poscit et quandoque dicit materiam, ut *iste pannus de lana est*; quandoque originem, ut *Ioannes Raimundus Ferrarii de Barcinona*; quandoque ordinem, ut *de mane fit meridies*, id est post mane.

[4] 353. *Auxilium cum do* feroque *sed opem cum fera*, non cum *do* coniungimus. Dicimus enim secundum Laurentium libro 3^o, capitulo 69: «*Auxilium do* feroque *opem do* non dicimus, sed *fera*, unde *opitular*, quod Tullianum uerbum esse Seneca auctor est (Luc. 17, 2), quo tamen et Salustius utitur (*Cat.* 33, 2) et Plautus (passim) et alii multi». *Fero* uero secundum Nicolaum Perottum, carta 49 (fol. f7r.), quinque significat: porto, dico, opto, produco patiorque. Id autem uarias compositiones habet, secundum quas significationes sunt et uariae. De quibus idem Nicolaus carta 100 plene meminit.

[5] 354. «Animaduerto pro *intueor* cum accusatio sine praepositione construitur, sed *intueor* ad personas, *animaduerto* ad res personasque refertur. *Animaduerto* autem per *punio* accusatum mediante in praepositione petit, ut *animaduerto te* uel *res tuas*, id est *intueor*. Et *animaduerto in te* id est *punio*, sed *punire* quoruncunque est siue iure siue iniuria, *animaduertere* uero eius est, qui in alterum ordine ac rite potestatem habet, id est cum animaduersione considerationeque punire. Quamuis autem *animaduerto te* et *animaduerto in te* differant, ut dictum est, non tamen *intueor te* et *intueor in te* quinimmo idem significant». Hoc Laurentius eodem libro, capitulo 72^o, dicit.

[6] 355. Teste eodem Laurentio, capitulo sequenti: «*Saepius homo quam uir, filius quam natus, pater quam genitor, mater quam genitrix, parens* pro utroque etiamque persaepe oratores dicunt. Poetae potius econuerso, historici uiam mediam quandam tenent, ut Salustius (*Cat.* 51, 16): "Eos mores atque eam inuidiam uiri cognoui"».

[7] 356. Secundum eiusdem Laurentii, capitulo sequenti, sententiam: «*In primis potens* si de masculo sermo fit, inter primos intelligitur, si de femina, inter primas, si de neuro inter prima. Quod si adiectiuum desit, in neutro accipietur certe. Quale Virgilio illud est (*Georg.* 1, 338):

"In primis uenerare deos".

(2) Nisi tale sit, quale apud eundem (*Aen.* 1, 330):

"In primis regina quietum

Accipit in Teucros animi",

in *primis*, non *inter primas* aut *inter prima* accipiendum est, sed *inter primos*. Vna enim inter mares femina nominatur sine feminis aliis aut *inter primos* et *inter primas*.

[8] 357. Inter *facio*, *ago*, *frango*, *accipio* patiorque secundum elegantes dicendi modos longa est differentia. Nam Laurentio referente eodem libro 3^o, capitulo 78: «Dicimus *facio te certiore*, non *certum*, et id in prosa. Nam Virgilius (*Aen.* 3, 179):

"Anchisem facio certum"

dixit eo quod in uersu syllaba breuis inter longas collocari non possit. (2) *Facio tibi gratum, facio ludos, facio rem diuinam, facio sacrificium, facio solemnitatem*, nunquam *ago*. Sed *ago orationem, ago libros, ago uersus*, et in multis huiusmodi. Item *feci iacturam, feci damnum, feci naufragium*. Vix unquam *passus sum iacturam, damnum, naufragium; feci tamen fugam*, quod ego fugi alterum, non quod alter me; *feci timorem*, non quod ego timui alterum, sed quod alter me. Item *feci iter*, nunquam *egi iter*. (3) Aliquando etiam *feci uiam, feci copiam tibi rerum mearum*, nunquam *egi* aut *dedi* aut *praestiti copiam; feci potestatem tibi uidendi res meas domesticas*, non autem *dedi; feci lucrum*, non autem *acquisiui lucrum; honore dicto, urinam fecit; stercus fecit*, non autem *emisit*. Simile huic est quod dicimus *fregit nauim, fregit brachium*, quasi ipse fregerit, id est ipse egerit, et non potius passus sit». (4) Haec Nicolaus Perottus in capitulo *De componendis epistulis, § Quid facio*, carta 102 (fol. n4r.), refert, ubi omnia ex *facio* composita et eorum significata dicit, ibique de *defectio, defectus, officium, beneficium* disserit. Laurentius uero in eodem 78^o subiungit capitulo: «Ita enim *accepi molestiam, cladem, contumeliam, uulnus, iniuriam, dedecus, ignominiam*, uix autem *passus*. *Accepi etiam uoluptatem, gaudium, laeticiam*, et hoc potius quam *passus sum*».

[9] 358. *Iniurior* et *contrarior* multis alis modis ornatoribusque dicuntur, ut Nicolaus Perottus carta 64, docet (fol. r6u.): «Loco enim primi dicitur *tu es mihi iniurius, tu infers mihi iniuriam, tu non es mihi aequus, tu mihi iniuriam facis, tu afficis me iniuria*. Loco secundi ponitur *semper mihi aduersaris, semper mihi repugnans, semper mihi refragaris, semper mihi obniteris, semper mihi obstas, semper mihi opponeris, semper mihi contrarius es, semper es mihi aduersus, semper mihi oppositus*».

CXXII. De parenthesi.

[1] 359. Parenthesis est interposita ratiocinatio diuersae sententiae. Virgilius:

«Aeneas (neque enim patrius consistere mentem

Passus amor) rapidum ad naues praemittit Achatem».

Vnde Donatus ait: «Parenthesis est quotiens sententia inchoatur eique ratio interponitur, ut in exemplo praedicto. Debit nanque praemitti *Aeneas rapidum ad naues praemittit Achatem*, et deinde subiungi *nam neque passus amor patrius consistere mentem* (2) Ideo Ad *Galatas* (2, 9): «Cum uidissent gratiam, quae data est mihi (qui enim operatus est Petro in apostolatu, operatus est mihi inter gentes) Iacobus cephas et Ioannes dextras dederunt mihi et Barnabe societatis». (3) Vel parenthesis est sententiae interpositio, qua de medio remota integer perdirat sermo, Ouidius in principio *Metamorphoseon* (1, 2):

«Dii coeptis (nam uos mutastis et illas) aspirate meis».

(4) Parenthesis uero dicitur a *para* quod est inter, et *thesis* quod est positio, quasi interpositio. Haec *Doctrinale* confirmat in XII^o (12, 2.537-39):

«In clausa clausam si commisces alienam

Inde parenthesis est: *Princeps (quia bella minatur*

Hostis) multibus urbes praemunit et armis.»

Item *Catholicon*, in 4^a parte, in tractatu *De figuris*, captiulo *De Tropis*, § *Parenthesis*

[2] 360 regula est. Parenthesis ornate per *quis* et *is* trifariam fieri potest. Laurentius enim libro 3^o, captiulo 79^o, scilicet de parenthesi per *quis* et *is* sic inquit: «"Si potuisset et redimere oculos matris (qua pietate fuit) uicarios suos dedisse", id est tanta pietate in matrem fuit. Idem Quintilianus (Decl. 6, 4): "Hoc si scisses, pater, affirmo, promitto (cuius pietatis est) nemo te antecessisset". Et alibi (9, 21): "Quae pietas tua est". (2) Tribus enim modis utimur per relatiuum, totidem per pronomen *is*: primo modo sic, *ea pietate fuit*; secundo sic: *eius pietatis es* sed hoc rarius; tertio sic: *ea pietas tua est, ea pro tanta* accipitur. Ideoque ipso *tanta* uti quoque licet eodem modo quo et pronomine. Habet autem aliquid plus talis oratio quam si dicas *pro tua pietate*».

[3] 361. Fere omnia nomina uerbalia in *-io* terminata, quae a supinis per mutationem de *-u-* in *-io* formari solent, actiue passiuueque sumuntur. Actiue, ut *M. Tullii accusatio*, passiuue, ut *Verris accusatio*. Iterum actiue *Constantini imperatoris donatio facta ecclesiae*, passiuue ut *imperii occidentalis donatio*. Item et *existimatio* pro opinione et sententia actiue sumi solet, ut *mea de rege existimatio*, sed pro fama nomineque passiuue, ut *homo existimationis magnae*, id est famae nominisque quod eum homines magni faciant et existiment. (2) Insuper et *opinio* cum hoc uerbo *uenio* eodem modo accipitur, siquidem actiue dicendo *in opinionem ueni*. Significat enim quod talem opinionem habui, non nunquam passiuue, cum *opinio* famam notat, *opinio* quippe sit quae de me ab aliis concipitur, non quam ipse de aliquo suscipiam. (3) *Suscipio* autem, *obliuio*, *uituperatio* et *offensio* cum hoc uerbo *uenio* fere semper passiuue sumuntur. De *suscipio* dicit Cicero (*In Vat.* 2): «Quod si falso P. Sextio uenisses in suspicionem», id est suspicionem tui, non tuam. De *obliuio* idem (*In Sall.* 5): «Vt si fuerint excellentes uiri, certe iam uenerint in obliuionem», hoc est quod ceteri de illis obliui sunt, non quod ipsi de aliis aut de se. (4) Itidem de *uituperatio*. Idem nanque Tullius III^o *Verrinarum* dicit (2, 4, 14): «Vt propter eum in sermonem hominum atque in tantam uituperationem ueniret». *Offensio* quoque paene semper passiuue sumitur, unde idem non *Clodii offensiones*, sed *offensas* dicit, *suas uero offensiones*. (5) *Vectatio* quoque non huic est dissimile, *uector* enim cum significare deberet quod uehit, ut nauis, equus, uehiculum, potius id quod uehitur denotat. Hoc autem est homo, Cicero (*Phil.* 7, 27): «Etiam summi gubernatores in magis tempestatibus a minoribus uectoribus admoneri solent». Non tamen pro nauta uectorem accipias, uectores nanque sunt qui precio uehantur in aliena nauis, sed quandoque uector pro eo qui uehit assumitur, ut Seneca in *Hercule furioso* (*Her.* 9):

«Tyriae per undas uector Europae nitet».

Haec auctoritate Laurentii, libro 3^o, captiulo 80, scilicet de nominibus quibusdam in *-io*, confirmantur.

[4] 362. *Bene* et *male* cum *iudico*, *censeo*, *pronuncio*, *opinor*, *sentio existimo*que et similibus ad loquentem spectant, propriumque declarant errorem ueramue sententiam, ut *bene* uel *male iudica*, sed cum de ad alios referuntur, ut *bene* uel *male de te iudico*, *bene* uel *male de me existimas*, *bene* uel *male de illo iudicamus*. Hic enim non error sentientis, existimantis, iudicantis innuitur, sed uicium eius de quo sentimus, existimamus, uel iudicamus. (2) *Bene* uel *male cogito* refertur ad alterum significatque utilitatem uel perniciem, non errorem. Item *bene* uel *male dico tibi*, *opto*, *praecor* aut *imprecor*. *Male audio*, id est infamor mea crimina audiens, ut *bene audio*, id est collaudor meas uirtutes percipiens, sed *male dico* et *bene dico* ad alios referuntur. Salustius *In Ciceronem* (1, 1): «Respondeo tibi, ut siquam male dicendo uoluptatem cepisti, eam male audiendo amittas». Praeterea eodem modo *bene* et *male de te mereor* est dicendum. (3) Haec fere omnia libro 3^o, captiulo 81, confirmat Laurentius. Idem libro V^o, captiulo 99, scilicet de *demereor bene maleue*, item de *demereror* et *emereor*, notanter ait: «*Mereor de te* est aliquid in te confero. Si beneficii quidem, *bene mereri de te* dicor; sin autem offensionis, *male de te mereri*. Non nunquam utrunque reticemus, sed in ambiguum sensum, ut *quid de te sum meriti?* Non nunquam per negationem sic: *homines nihil de me meriti*, id est qui nihil in me beneficii aut officii contulerunt. (4) *Demereor* quoque pro bene de aliquo mereor accipitur, sed cum accusatiuo, Ouidius *Heroidum* (2, 27):

"Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amaui?

Crimine te potui demeruisse meo"».

(5) Vnde Nicolaus Perottus carta dicit 60 (fol. h1r.) : «*Mereo et mereor* quando post se ablatiuum habent cum praepositione *de* significant tractare, ut *ego bene mereor de te, Antonius male meritus de militibus suis* siue *male meruit de militibus suis*. Virgilius (Aen. 4, 317):

"Si bene quid de te merui".

(6) Sic dicuntur etiam *promereo et promereor, commereo et commereor*, inter quae haec differentia est: quod *promeremur* et *meremur* bona, *commeremur* mala. *Demereri* etiam dicimus bene mereri, ut Quintilianus (1, pr. 3): "Vt pleniori obsequio *demereret* amantissimis mei", unde male usurpant aliqui *demerita* pro uiciis». (7) *Emereor* autem secundum Laurentium eodem capitulo 99^o idem paene quod *mereor*. Praeteritus eius *emeritus*, unde *emeriti stipendia*, qui militia perfuncti sunt, nominantur. Et in significatione passiuia *stipendia emerita*, ut idem emeritis huic bello stipendiis. Et per translationem a Virgilio *emeriti boues* dicuntur et quaedam alia». (8) Vnde Nicolaus Perottus, ubi supra, dicit (fol. h1r.): «*Emeriti milites* dicuntur qui ob ingrauescentem aetatem ab onere militandi liberantur nec amplius merent». (9) Idem Laurentius de *bene maleque pro ualde*. «Cicero (*De fin.* 5, 76): "Habetis orationem bene longam"». Huic simile quidam male habet, ut comici frequenter: *male mihi timeo*, pro eo quod est ualde timeo. Cicero in *Bruto* (88): "Credebat scriptores illos male multatos", id est ualde et quasi bene multatos, sed in malum illorum. Neque id solum in positiuo aduerbio, sed in superlatiuo quoque, ut *pessime multatos*. (10) Atque adeo in comparatiuo, sed frequentius cum uerbo *odi*, ut idem in *Philippicis* (11, 12): "Quo neminem ueteram peius oderunt", *peius* quasi magis et ualidius. Per aliud autem uerbum, ut Ouidius *Heroidum* (4, 34):

"Peius adulterio turpis adulter obest".

Denique *male* pro *non* accipitur, ut apud Virgilium saepe reprimur». (11) Vnde Seruius primo *Georgicarum* dicit (1, 105): «*Male pinguis arenae*, id est non pinguis, sterilis». *Male* pro *non* et ita saepe facit Virgilius.

[5] 363. *Loco patris, filii uel fratris te habeo* non intelligas, ut ubi prius illi erant, ibi tu nunc apud me sis, sed quod in ea charitate habearis, qua illi aut fuerunt aut sunt aut essent aut esse debent, ut quis fratris loco, id est pro fratre sit, etsi frater non desit. In locum uero praedictorum dicitur quando illi desunt aliique succedunt. (2) Quale illud apud Quintilianum est (12, 1): «Nam quomodo pugnam ineuntibus tot simul metus, laboris, dolorum, postremo mortis ipsis exciderint, nisi in eorum locum pietas et fortitudo et honesti praesens imago successerit?» Ergo ita dicitur ubi aliud erat, aliud successit, quae diuersa a superiore est sententia *loco uoluptatis mihi est, loco honoris, loco turpitudinis*, id est uoluptuosum, honorificum, turpe. (3) Illud autem sermonis genus, quo passim utuntur ecclesiastici: *ego habeo te in patrem, tu es mihi in filium, accipio te in fratrem*, a ueterum abhorret usu. Veteres nanque dicunt *habeo te loco patris, tu es mihi loco filii, te loco fratris accipio*; uel *te pro patre habeo, tu es mihi pro filio, te pro fratre sumo*, et non nullis aliis modis. (4) Et haec expositiones locum habent ubi tale aliquid non est, sed pro tali habetur, ut in illo: «Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam», quod elegantius dictum esset *loco matris* uel *pro matrisiue pro sua*. Non autem in illo quod pro uero accipi debet: *ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium* dicere licuisset, id est dixissent ueteres. (5) *Ego ero illi pater et ipse erit mihi filius*, sed more Graecorum, unde haec sumpta sunt, nostris ecclesiasticis loqui placuit. Idem ueteres, qui illo modo locuti non sunt, sic tamen loquebantur: *reuertor in patrem tibi, reddi in amicum*, sed hic uerbum est significans motum. Haec Laurentius libro 3^o, capitulo 82^o, refert. (6) Nicolaus autem Perottus carta 12 dicit (fol. p8u.): «*Reuertor* siue *reuertu* utroque enim modo Cicero utitur. Interdum significat redeo, interdum uenio, multumque in eo uerbo elegantiae est. Cicero *De fato* (*Fat.* 7): "Ad Chrysippi laqueso reuertamur", cum nihil de Chrysippo locutus fuisset. *Redeo* in eadem significatione accipitur. Quintilianus (*Decl.* 4, 16): "Si uerum est post uetusta saecula et innumerabiles annos reddi, rursus aliis corporibus animas", *reddi* dixit pro *dari*, sicut Cicero *reuertamur pro ueniamus*».

[6] 364. *Agere gratias* est uerbo quod barbare *regrator* quidam dicunt. *Gratias habere* est in animo, cum memorem accepti beneficii mentem animumque habeo, et inuicem gratificandi uoluntatem. *Referre* siue *reddere gratias* est factio, ut si tu a me subleuatus aut pecunia aut patrociniio aut manu alioe subsidio uicissim me aliquo modo subleuaueris, gratias retulisti reddidistisque, licet Seneca nolit malas referri posse, sed reddi. (2) Cicero uero nunquam fere ait *reddere gratiam* sed *referre*, sed enim *reddi referri*que *gratia* non modo factio, sed etiam uerbo dici potest, quippe dicendo quandoque non minus quam faciendo proficimus. Elegantius autem *ego gratias* quam *gratiam* dicitur, et *habeo referoque* seu *reddo gratiam* quam *gratias*. (3) Item et *ago grates* dicimus, sed apud poetas saepius, qui necessitate uersus *ago gratias* dicere non possunt. Non nunquam etiam apud oratores, nisi pro eodem significato *gratias* non *grates* sit legendum. Et *deo gratiam referre* non possumus, quia dicendo quoque nunquam cognitum est nisi apud quosdam

recentes nisi barbare loqui nescientes, sed *gratias agimus*. (4) Raro quoque *deo gratiam habere dicor*, quotiens agnosco apudque me ipsum fateor ab illo beneficium accepisse citra spem gratiam referendi.

"Pol diis habeo gratias"

dicit Terentius in *Andria* (770), quod in pariundo aliquot afferunt libere. Haec apud Laurentium, libro V^o, capitulo 41, et apud Nicolaum Perottum carta 126, reperies. (5) *Reddo* secundum Nicolaum Perottum, carta 52, tres significationes habet: scilicet restituere, ut *reddo tibi pecunias*, consignare, ut *reddo tibi litteras, quas Cicero mihi ad te dedit*; item facere, quando duos accusatiuos habet, ut *reddam te doctum*, id est faciam. Et *reddo ex re doque* componitur, et *-d-* geminatur, ut a *redis*, secunda persona de *redeo*, differat. Et in *redeo -d-* interponitur ut hiatus euitetur, qui in *reoo* esset, hoc est gratia eufoniae, ut fit in *redintegro* et *redimo*.

[7] 365. *Teneo* cum ablatiuo *memoria* non aduerbio *memoriter* copulatur; *pronuncio narroque* econtra, ut *pronuncio et narro memoriter*, quod uulgo semper imperite dicitur *corde tenus, mente tenus*. *Agnosco* uero, *complector* et *repeto* cum utroque possunt coniungi, ut *agnosco, complector* et *repeto memoria* et *memoriter*. Hoc Laurentius libro 3^o, capitulo 84, docet.

[8] 366. *Facio iniuriam* uel *contumeliam* possum dicere, non autem *molestiam*, sed *afficio molestia* ut *iniuria contumeliaque*, teste Laurentio in sequenti capitulo.

[9] 367. *Recipio* secundum Nicolaum Perottum, carta 49 (fol. f7u.), si simplicem uel cum ablatiuo mediante *a* uel *ab* accusatiuum habet, significat accipio, ut *recipio pecuniam, recipio a duce stipendium*; sin autem datiuum, designat promittere, ut *recepisti mihi*, id est promisisti mihi. (2) Quod si recolligere, quod uulgo *recollir* dicimus, denotauerit, accusatiuum cum altero accusatiuo poscit.

[10] 368. *Mitto* et *rescribo* secundum eundem, carta 52 (fol. g1u.), tam datiuo quam accusatiuo cum *ad* coniunguntur, ut *mitto tibi et ad te, rescribo tibi et ad te*. Hoc ego quidem de *dico* praecipio. Apud enim scripturas sacras *dico* nunc cum datiuo, nunc cum accusatiuo cum *ad*, ut *dico tibi* uel *ad te* iungi reperio.

[11] 369. Eodem Nicolao, carta 40^a (fol. e7u.), referente, *parturio* neutrum et desideratiuum est, et eniti partumque desiderare significat. *Parere* autem actiuum est, et in lucem iam emittere et enixam esse notat, ut *quae iam diu parturiit aliquando pariet*. De pluribus regulis antedictis in meo *Elegantiarum breuiario* cum additamentis suis in locis antea designatis inuenies.

CXXIII. Libertus et libertinus.

[1] 370 regula est quod *libertus* relatiuum patroni sit, *libertinus* uero ingenui, licet unus idemque sit libertinus et libertus. Per libertinum nanque hominis conditionem sicut per ingenuum denotamus; per libertum quendam priuatum respectum sicut per patronum. Ideoque *libertinus*, ut et *ingenuus*, adiectiuum est, quae de re a *libertina libertinabus* non fit, ut a *liberta libertabus*. (2) *Libertus* autem, ut *patronus*, est substantiuum. Illudque diffinire solemus, non autem hoc, ut in iure ciuili libertini sunt, qui manumissi iuxta seruitute sunt, quemadmodum econtrario sunt ingenui, qui libera matre nati nec postea serui facti sunt. Per hos enim, ut dixi, hominis significatur condicio, non autem per libertum et libertam, quae priuatum respectum ad antea dominum dominamue significant. (3) Iccirco interrogamus *hic ingenuus an libertinus est*, non autem *an libertus*. Et si respondeatur *libertinus*, interrogamus *cuius libertus*, non *cuius libertinus*, respondeturque *est libertus meus* aut *tuus* aut illius aut *Catonis* aut *nullius*. Itaque libertus sine patrono patronaue non est, libertinus esse potest, licet necesse sit eum aliquando habuisse. (4) Ex quo fit ut *colliberti, collibertae* dicamus, ut *conserui conseruaeque*, quo hi plures sub umbra unius patroni sint, sicut illi sub domini unius imperio. Et libertus collibertusque quis desinit aliquando esse, libertinus autem non desinit. (5) Postremo licet altero horum nominum poteramus esse contenti, tamen placuit ueteribus a publico priuatumque respectum distinguere. Ideoque *libertinitas* non *libertitas* dicimus. Ex seruo tamen non quod ad priuatum dominum referatur, sed quod ad publicum seruitus fit. Dicitur enim non modo *seruus meus*, sed etiam sine respectu patroni, ut *hic seruuset homo seruus*, quod non fit in libertus. (6) Quid oportet plura dici cum in iure de libertis libertinisque distincti sint tituli? Quam differentiam fere omnes uel iurisperiti ignorant. Nec mirum, cum et Priscianus, grammaticorum princeps, in VII^o, ubi de datiuo et ablatiuo pluralibus primae declinationis agit, dicat hoc modo (7, 12): «*Libertus* dicitur ipse qui libere efficitur; *libertus* ipsius, id est liberti filius», quem Papias, Vgutio, *Catholicon, Compraeosorium* sunt secuti, sed antedictae differentiae in summa fundatae elegantia Laurentius Vallensis, libro III^o, capitulo primo, auctor est egregius eximiusque dicendus, quam eodem loco in meo scripsi *Elegantiarum breuiario*.

[2] 371. Inter *do fidem habeo*que *fidem* longa est differentia: *do fidem* non est, ut nunc loquuntur multi, des *fidem* uerbis illius, id est credes, quod latine dicitur *fidem habe*, unde dicendum est *habeas fidem uerbis eius*. Nam *dare fidem* est aliquid sancte promittere. Virgilius (*Aen.* 8, 150):

«Accipe daque fidem»,

id est accipe sponsonem factam a me et tu da mihi uicissim tuam. Haec Laurentius libro V^o, capitulo XVI, et Nicolaus, carta 104^a, aiunt. Quae Vlpianus *l. I, ff. Si cer. pe.*, de sequi fidem dicit, quod omnino uide cum glosa doctoribusque.

[3] 372. *Prae me fero, prae te fers, prae se fert aliquis* est dicto factoue et ipsa fronte qualem opinionem de aliqua re uel homine habeam uel habeas uel habeat quispiam confiteri aperteque ostendere. Cicero: «Nam ille qui accipit iniuriam meminit et prae se fert», id est ait se accepisse iniuriam. Quintilianus: «Fiduciam igitur prae se ferat orator semperque ita dicat, tanquam de causa optime sentiat», id est ex ipso aspectu oratoris, ex ipsa uoce, ex ipsa tota oratione eluceat fiducia. Sic *prae me duco, prae te ducis, prae se quis ducit*, ante me duco, ante te ducis, ante se quis ducit, prae me gero, prae te geris, prae se quis gerit sumi possunt.

[4] 373. Inter *rationem habeo* et *ratio constat* est differentia. Nam *rationem habeo* est respectum habeo, sed in bonum tantummodo, ut *salutis habenda est ratio, honoris, rei familiaris*, non autem *infirmi- tatis, turpitudinis, incommodorum*. Et *tu contra ualitudinis rationem facis*, id est ualitudinis respectum non habes, *sanitatis -inquam- non aegritudinis*. Et hoc cum genituo fit. (2) Cum ablatiuo autem, praeposita praepositione *cum*, aliam significatione habet, ut Cicero in *Catone maiore* (*De sen.* 51): «Rationem habet cum terra, quae nunquam recusat imperium», id est negocium, et habet cum terra commercium. Haec Nicolaus Perottus carta 112 disserit (fol. o6r.). (3) *Rationem constare*, ut breuiter dicatur, est aequam legitimamque rationem aut ostendi aut apparere ostendi posse. Plinius Iunior (1, 5, 16): «Mihi et tentandi aliquid et quiescendi, illo auctore, ratio constabit». Haec omnia Laurentius, libro V^o, capitulo XVIII, refert.

[5] 374. *Ratiocinior* secundum Nicolaum Perottum, carta 66 (fol. h8r.), interdum significat per rationem demonstro, unde *ratiocinari* dicitur, qui per syllogismos aliquid probare contendit; interdum ratiocinari est computare siue compotum facere, unde *ratiocinator* dicitur *computator*. Vnde Cicero primo *De officiis* (1, 59): «Optimus ratiocinator qui addendo et deducendo uidet quae reliqui summa sit». Et hoc adiectum in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro V^o, capituloque XVIII, adiectum reperies.

[6] 375. Inter *e* et *ex* assignari potest differentia, quod *e* dictionibus ab *r-* incipientibus praeposita sit, *ex* autem aliis et *e* saepe pro *pro* uel ad utilitatem debet exponit. Nam apud Laurentium, libro V^o, capitulo XIX, et Nicolaum Perottum, carta 122, ut in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem XIX^o habetur capitulo, reperitur: *e re publica est*, id est pro re publica est uel ad utilitatem rei publicae est; *e re publica* dicendum est, ut in *Oratore* Cicero testatur, non *ex re publica*. (2) Tollitur enim *-x-* sicut in omnibus fit fere, quae ab *r-* incipiunt, ut *e regione*, id est oppositio uel ex aduerso atque contrario, non *ex regione*; *e re mea*, *e re tua*, *e re nostra*, id est ad tuam et nostram utilitatem secundum Nicolaum Perottum. (3) Similiter *ex dignitate*, *ex utilitate*, *ex usu* pro eo quod est pro dignitate uel ad dignitatem, utilitatem, usum. Cicero (*De or.* 3, 7): «Ex tua ac rei publicae dignitate facies»; et alibi (*De inu.* 1, 69): «Legem, ut aequum est, ex dignitate rei publicae considerate», secundum eundem Nicolaum. (4) *Ex tempore dicere* est ex improuiso et impedimentum dicere nec domi compositam orationem afferre, hinc *extemporalis* uocatur *oratio*. Persius etiam ait (3, 62):

«Extempore uiuere, extempore quoque agere».

Aliter accipitur *ex tempore* quasi ex temporis condicione. «E renibus laborabat», inquit Cicero (*Nat. Deor.* 2, 137), hoc est morbum in renibus patiebatur. *Ex uinculis causam dicere* est alligatum respondere criminibus, ut *ex equo pugnare* est in equo sedentem pugnare. (5) Haec fere omnia a Laurentio dicta Nicolaus Perottus confirmat addiciens in principio: «Notandum est huiusmodi praepositiones *e* et *ex* magnam habere elegantiam, si recte in oratione collocentur. Dicimus enim *e re publica*, id est pro re publica uel ad utilitatem rei publicae», et cetera.

CXXIV. Cordi est et in animo est.

[1] 376. *Cordi est* et *in animo est* longam inter se habent differentiam, nam *cordi est* delectat placetque significat. Cicero (*De am.* 15): «Idque eo mihi magis est cordi, quod ex omnibus saeculis uix tria aut quattuor numerantur paria amicorum», id est magis me delectat et placet. *In animo est* in animo

habeo uel animus est mihi uel uolo constituere importat, ut *Ad Terentiam* idem Cicero (*Fam.* 14, 11): «Nam mihi erat in animo mittere ad Dolobellam». Haec Laurentius, libro V, capitulo 22°, et Nicolaus Perottus, carta 122, dicunt. (2) Vnde Laurentius, eodem libro, capitulo 70 disserit: «Ex sententia aliquid habere et ad uotum, licet illud uideatur rationis esse. Hoc affectus eodem tamen fere significationis ueniunt». (3) Nicolaus autem Perottus aliter dicens concordat eadem carta 122 (fol. p8u.): «*Ex sententia* significat pro desiderio nostro et ad uotum, additurque aliquando *animi*, et dicitur *ex animi sententia*. Vbi notandum est aliud esse *ex animo*, aliud *ex animi sententia*. Nam *ex animo* significat ex corde, ut *ex animo loquor*, quamuis *in animi est* et *cordi est* sint diuersa, ut est dictum».

[2] 377. *Compertum est mihi et exploratum est mihi* idem est quod per inuestigationem scio. Similiter *comperi* et *explorauit*, *constitutum est mihi*, *deliberatum est mihi*. *Decretum est mihi* idem est quod apud me cogitando firmatum est. Similiter *constitui* et *decreui*, at non ita *deliberaui*. Possum nanque deliberasse et nihil tamen constituisse. (2) *Explorauit* autem pro inueni fere accipitur, cum *exploro* idem sit quod inquiri sagaciter; unde dicuntur *exploratores*. Idem fit in non nullis aliis, ut *exigo*, quod uehementer et iure quodam postulo; inde *exegi exactum* pro postulando obtinui et postulando obtentum. *Tale est quaesitum* pro partum a quaero. Laurentius libro V°, capitulo XXIII°, exponit.

[3] 378. *Faenero tibi*, sicut *mutuo tibi*, dicitur, *faeneror abs te*, sicut *mutuor abs te*. Qui mutuatur pecuniam, dat mutuo; qui pecuniam faenerat ad usuram dat. Qui mutuatur pecuniam, mutuo accipitur; ad usuram uero, qui faeneratur. Laurentius capitulo sequenti.

[4] 379. *Gradum facere* non est transitum facere, sed aliquam rem gradum et quasi scalam facere ad alia. Ideoque a quibusdam dicitur *gradum iacere*, ut si riuum transire, si in arborem fenestramue aut tectum scandere uelim, ex saxo aut scamno aliaue re gradum facio. Cicero *Contra Rullum* (*Leg. Agr.* 2, 38): «Hunc quasi gradum quendam atque aditum ad cetera iactum intelligetis». Laurentius libro eodem, capitulo 26.

CXXV. Certum est et in manu est.

[1] 380. *Certum est* non modo pro manifestum est, sed etiam pro deliberatum et constitutum est accipitur, quo secundo plerumque datiuus cum infinitiuo adiungitur, ut *certum est mihi ire in Hispaniam*. Non nunquam datiuus subintelligitur, ut apud Virgilium (*Buc.* 10, 52):

«Certum est siliuis inter spolea ferarum

Malle pati».

Laurentius capitulo sequenti et Nicolaus carta 105 confirmant.

[2] 381. *In manu est* et *in manibus est* utrunque in potestate est significat, sed dupliciter de praesenti et de futuro. De praesenti, Cicero (?): «Non est istuc in manu mea»; Salustius (*Cat.* 20, 10): «Verumenimvero pro deorum atque hominum testor fidem, uictoria in manu uobis est; uiget aetas, animus ualet. Contra illis annis atque diuiciis omnia consenuere, tantum incepto opus est, cetera res expediet». (2) In plurali tamen frequentius, cum dicimus *uictoria in manibus est*, quasi iam iam tenetur. Etiam dicimus *in manibus est* in alia significatione pro eo quod est inter manus est aut quia nondum operi summa manus sit imposita. Laurentius libro V°, capitulo 34.

[3] 382. *Praeditus* bono uel malo *sum* dicitur, ut et *affectus sum* et utrunque significat habeo bonum et habeo malum, ut *praeditus sum uirtute*, qui sermo est usitatissimus, nunquam tamen cum ablatiuo et praepositione *a* uel *ab*, ut fit in *affectus*, ut *ego a rege magnis honoribus sum affectus*, non autem *magnis uirtutibus a deo sum praeditus*. De malo uero *praeditus* est rarior. Cicero *Pro Rabirio* (21): «Senectute affectus, morbo praeditus». (2) Contingit idem in *singularis* saepeque legimus *ille est singulari improbitate; tu es singulari stulticia*. Similiter fit in aliis tribus quattuorue: *notabilis*, *nobilis*, *insignis* et *eximius*. *Nobile scortum*, quasi in ordine meretricio excellens uel maxime inter alia notum; et latrones uocantur *insignes*, qui maiore manu maioreque audacia crassantur; et *insignis improbitas*, *insignis stulticia* dicitur, quemadmodum *singularis*, *eximia stulticia* rarius est. Laurentius capitulo sequenti, et de *affectus sum* idem quoque praecipit libro 4°, capitulo 78°; (3) et Nicolaus Perottus carta 101, et de *nobilis* carta 103, ibi (fol. n3r.): «*Nobilis* uero aliquando etiam in malam partem capitur, et a *nosco*, quasi *notus* dicitur, et *nobile scortum* et *nobilis iniuria*. Quomodo etiam *famosus* accipitur aliquando in bonam partem, aliquando in malam».

[4] 383. *Consulo* pro peto consilium uel inquiri uel interrogo accusatiuum petit, ut *consulo te*, sed pro do consilium prouideo datiuum, ut *consulo tibi*. Sed pro prouideo frequentius est ac magis proprie in rebus, ut *consule uitae tuae*, *consule ualitudini*, *dignitati*, *saluti*, *rebus tuis*. Adeo frequentissime, ut cum dicitur

consulere uolo mihi et meis liberis, intelligatur potius de corpore et rebus externis quam de animo. Hoc Laurentius libro V^o, capitulo 40, et Nicolaus Perottus, carta 49, dicunt; (2) ubi Nicolaus ait (fol. f7u.): «*Consulere* tria significat, ut hic et in 3^o adiicitur, quod est iuuare ferreque praesidium». Idem Laurentius in eodem subiicit: «In plurali numero interdum sine apposito reperitur, ut *consulunt senatores*, quod frequetius dicimus *consultant*, id est deliberant, nisi enim assit, qui consilium petat et qui consilium det, non erit deliberatio siue consultatio. Atque, ut *consulunt* dicimus pro *consultant*, hoc est quod altera pars petat, altera det consilium, ita econtrario nonnunquam consultare est unius non plurium partium, sed ita: si is apud se duas partes sustinet secumque deliberat. (3) Hinc duo nomina ueniunt: *consultor* et *consultus*. *Consultor* fere pro eo qui alium consulit accipi solet, non nunquam pro eo tamen qui alii consulit, Salustius in *Iugurthino* (103, 7): "Simul ab eo petiuit uti fautor consultorque sibi adsit". *Consultus* est homo prudens et sciens dignusque a quo consilium petas. Ceterum non occurrit ubi repertum sit, nisi autem participium, ut ibi *consulti medici dixerunt eundem esse langores*, aut nomen pro *iuris consulta*. (4) In compositione frequens est, sed adiectiuum, ut apud Quintilianum (*Decl.* 19, 10): "O inconsultam muliebrem semper amentiam", id est imprudenter, inconsiderata nulliusque consilii. Alterum quoque compositum, si compositum est *iurisconsultus* quod etiam dici solet *iure consultus* Non nunquam tamen in simplici, ut Ouidius *De arte amandi* (1, 467):

"Sit tibi credibilis sermo consultaque uerba".

[5] 384. *Dico sententiam*, si consiliarius fuerim; *fero sententiam*, si iudex. Non nunquam temen *dico* pro *fero* accipitur. Iuris quoque consulti hoc uerbo in hunc sensum frequentissime usi sunt. At *dico leges* aliud quam *fero leges* est. Est enim ferre ad suos, dicere fere ad uictos. Laurentius libro V^o, capitulo 48.

CXXVI. Iter facere et iter habere.

[1] 385. *Iter facere* iterque *habere* differunt. Primum est ut imperiti dicunt *itinerare*, ut periti *ingredi iter* aut *uiam*. *Viam facere* proprie est ubi non erat uia ac transitus aperire. *Munire* autem *uiam* est repurgare, reficere ac substruere interdum lapidibus. Dicimus etiam ut *uiam*, ita *ripam munire*, *alueum munire*, *aditum munire*, cum illa reficimus uel paramus. *Iter habere* est iter aliquem esse facturum. Haec Laurentius libro V^o, capitulo 71, et Nicolaus carta 61 attestantur.

[2] 386. *Propono praemium*, *propono metum*, *ostendo spem*, *ostendo metum*, fere in eadem significatione sunt. Hoc est hinc hortor, illinc deterreo. Nisi quod proponere est potius potestatem imperiumque habentis; ostendere uero consilium dantis.

[3] 387. Inter *pacificatus sum*, *pacatus sum* et *placatus sum* est differentia. Nam *pacificatus sum*, pacem feci; *pacatus sum*, in pace sum uel ab armis recessi; *placatus sum*, ab indignatione animi ad lenitatem redii uel animo leni sum.

[4] 388. Inter *par sum*, *par est*, *paria facio* est differentia. *Parem* esse idem est quod sufficere alicui operi siue resistendo illi siue exequendo. Non nunquam *par est* idem est quod *decens*, Quintilianus (5, 11, 9): «Si propter matrimonia uiolata urbes euersae sunt, quid fieri adulterio par est?» *Paria* facere est quod alibi amissum est uel quod aliunde acceptum, alibi uel aliundem compensare. Has tres ultimas regulas Laurentius libro V^o, capitulo 72, 73 et 74^o probat, et Nicolaus hanc carta 122.

[5] 389. *Solicito te* uel quod spem metumue tibi ostendo, ut *solicitare plebem*, uel inquieto et curam tibi iniicio secundum Laurentium capitulo sequenti. Vnde secundum Nicolaum carta 124 (fol. q2r.), ut in meo ibidem adieci *Breuiario*: «*Solicitus homo* proprie dicitur inquietus, anxius, curis plenus, inter spem metumque constitutus. Vnde *solicitare aliquem* dicimus, cum spem metumque ostendimus, ut apud Ciceronem reperitur *solicitare plebem*, id est inquietare curam.

CXXVII. Gratum facio et gratificor.

[1] 390^a regula est inter *gratum facio* et *gratificor* est differentia, quod *gratum facere* est quiddam minus et prope idem quod obsequi et inseruire, ut Cicero (*Fam.* 3, 9, 2): «Si hunc iuueris, gratissimum mihi feceris». *Gratificari* quiddam maius, ut *deum gratificari hominibus* dicimus, non autem *gratum facere* quasi idem sit, quod beneficia conferre. Laurentius libro V^o, capitulo 76 et Nicolaus carta 126.

[2] 391. *Incedere* est ambulare, inde incessus siue tardus siue festinus siue commotus, incompositus immoderatusque; proprie tamen sublimior quidam et fastum praeferens. Laurentius, eodem libro, capitulo 79^o. Nicolaus carta 123 hoc confirmat adiciens: «Virgilius (*Aen.* 1, 405):

"Et uera incessu patuit dea";

Seneca hoc declarata dicens (*Nat. Quaest.* 7, 31, 2); "Tenero ac molli passu suspendimus gradum". Nec ambulamus, sed incedimus, ut liceat diffinire: incedere est tenero ac molli passu ambulare. Hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, in eo 79^o addidi capitulo.

[3] 392. *Mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum* dicimus, *cum* per anastrophe postposita. Nam secundum Nicolaum, carta 117 (fol. p3r.): «Haec tria pronomina *mei, tui* et *sui* ita in plerisque sunt similia, ut quicquid uni conuenit. Alia duo exigere uideantur. Vnde *cum tecum* et *uobiscum* potius quam *cum te* et *cum uobis*, non sine ratione dicatur. Cetera etiam quasi quadam societate eodem modo in oratione collocari uoluerunt. (2) *Tecum* autem ideo dicitur, qui si huic praeponetur *cum* in ablatiuo plurali cacephaton fieret, quod uicium in epistolis et in omni oratione soluta maxime uitandum est, essetque longe cacephaton turpius quam illud Virgilii (*Aen.* 1, 193):

"Numerum cum nauibus aequat".

Ceterum et usus obtinuit ut et *quicum* in ablatiuo casu propter supradictorum monosyllaborum similitudine diceremus». De hoc supra, libro primo, § *Nec mecum*, carta 64, plenius dissero.

[4] 393. *Asseuerare* est inter ipsa argumenta probationemque admiscere uim animi motumque. Quod declarat Quintilianus cum inquit (5, 12, 12): «Altera ex asseueratione probatio est, *ego hoc feci? Tu hoc mihi dixisti? Et o facinus indignum*»; et alibi (4, 2, 95): «Cum praesertim quorundam probatio sola sit in asseueratione et perseuerantia».

[5] 394. Inter *placeo mihi, non placeo* et *displiceo mihi* est differentia. Nam praeter negationem diuersae significationis sunt. Etenim non *placeo mihi* et *displiceo mihi* intellectus sunt aperti, ut *De oratore* Cicero (*de or.* 2, 15): «Nunquam mihi minus quam hesterno die placui»; et in *Philippicis* (1, 12): «Cunque de uia languerem et mihi met displicerem». (2) Sed *placeo mihi* idem est quod superbio dote aliqua donoue quod mihi assit et glorior et mihi eo nomine confido, plerunque cum inferiorum contemptu. Quintilianus (*Decl.* 13, 11): «Placeas licet tibi opum tuarum fiducia diues». Paene in hunc sensum *mirari se* accipitur, nam hoc in alterum efficere est laudabile, de se ipso crebrius est in uicium. Et *quis se mirari* dicitur quasi sibi placet uel de se magnifice sentit. Laurentius libro V^o, capitulo 92. (3) Illud unum est quod utrunque bene dicitur *miror te iusticia* et *iusticiae*, ut Priscianus libro I minoris, § *His constructionibus*, uersiculo *Hoc autem saepe*, carta 27, dicit expresse (17, 103).

[6] 395. Congruue dicimus *placet mihi me esse largum* et *placet mihi esse largus*. Qui loquendi modus etiam cum uerbis aliis reperitur, ut *puto te esse bonus amicus*, Lucanus in X^o (9, 1.037-38):

«Titumque putauit iam bonus esse socer»,

et Ouidius (*Pont.* 1, 7, 6):

«Qui praecor esse tuus»,

et Terentius (*Ad.* 125):

«Ei mihi pater esse disce ab his qui uera sciunt».

Nicolaus Perottus capitulo de impersonalibus, carta 68 (fol. i1r.), refert, cuius et Prisciani sententiam in meo *Elegantiarum breuiario*, libro V^o, capitulo 92, reperies.

[7] 396. *Conflaui aes alienum* et *contraxi aes alienum* idem est quod factus sum debitor alienae pecuniae. *Dissolui aes alienum* idem est quod contraxeram aeris alieni restituo et pluribus soluo. Vel quasi cathena qua ligabar me pecunia soluenda dissoluo. Laurentius libro V^o, capitulo 94.

[8] 397. *Orationem habui*, non *orationem feci, feci sermonem* potius quam *habui*, non nunquam etiam *habui*. Laurentius capitulo 97.

[9] 398. *Exhorreo hanc rem* idem est quod expauesco; *abhorreo ab hac re* idem est quod perquam alienus sum ab hac re. Hoc semper exigit huiusmodi ablatiuum, illud uero nunquam, sed accusatiuum.

[10] 399. *Bene mecum agitur* idem est quod in bona conditione sum. Item *praeclare tecum agitur, optime cum illis agitur, melius cum hominibus ageretur, si paruo contenti essent*. Ita *male mecum agitur* et *peius incommisae* et *pessime* Nonnunquam et actiue. Valerius, libro V (Val. Max. 5, 3, 3): «Bene egissent Athenienses cum Milciade», et cetera. *Actum est* semper in malam partem accipitur, ut *actum est de re publica*, id est res publica extincta, desperata, perdita est. De his duobus regulis ultimis Laurentius, libro V^o, capitulo 101 et 102.

CXXVIII. Ad me spectat, conuenit mihi.

[1] 400 regula est. *Ad me spectat*, id est ad me pertinet, *ad mortem spectat*, id est tendit quasi respiciendo tendit. Laurentius capitulo 105.

[2] 401. *Conuenit hoc mihi* aut *conuenit hoc nobis*, id est decens est et aptum et conueniens. *Conuenit hoc mihi tecum*, id est sine controuersia est inter nos, quod tu dixisti. Laurentius, capitulo 106, et Nicolaus, carta 124, dicunt. Laurentius subiicit: «Non unquam sine supposito, ut *conuenit inter nos*; non nunquam sine appposito, sed tamen subintellecto, ut *hoc conuenit*; non nunquam sine utroque, ut *conuenit*». (2) *Conuenire* enim secundum Nonium obuium fieri significat, Terentius in *Eunucho* (234):

"Conueni hodie adueniens me loci quendam atque ordinis hominem".

Item uide M. Tullium De *Senectute* (83): "Neque uero eos solos conuenire habeo, quos ipse cognoui, sed illos etiam de quibus audiui et legi et ipse conscripsi". Plautus in *Asinaria* (274):

"Aetatem uelim seruire Libanum, ut conueniam modo".

(3) *Conuenire* colligi coire, M. Tullius in *Philippicis*, libro 3^o (3, 5): "Cui quidem hodierno die nunc enim ita conuenimus". *Conuenire* interpellare». Et pro obuium fieri uel interpellare apud Liuium, libro 29, accipitur (29, 24, 1): «Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi Syracusis eum conuenerunt». In iure autem *conuenio* pro *cito*, -as plerunque sumitur.

[3] 402. *Obuio tibi, obuio tibi fio, obuio sum tibi, obuio me tibi fero, obuio me tibi fortuna obtulit, obuio processi, obuio iui*. Laurentius capitulo 107 et Nicolaus carta 127. *Obuio* etiam cum genitiuo construi apud Liuium, libro 29, reperitur (29, 9, 2): «Pleminii miles fugiens sequentibus quorum erat obuio forte, Sergio et Metieno tribunis militum, fuit». Consequenter Laurentius de uerbis ad diffinitionem coniecturam, noticiam, spem recordationemque finem operis ad auctoritatem spectantibus disserit.

[4] 403. Quaedam est gerundii nominisque communio: *inter agendum, inter actionem, in agendo, inter cenandum, inter cenam, in cena, super cenam, inter consulendum* siue *consultandum, inter consilia* siue *consultationes, in consulendo* siue *consultando*.

[5] 404. Verba quaedam sunt sodalia, ut *appellant te homines sapientem et existimant te malum esse et dicunt et sentiunt; illum et putant probum et loquuntur; hi et appellantur mali et habentur; diligentia honores et gignit et continet; studio litterae et parantur et conseruantur*. Laurentius has duas ultimas regulas libro V^o, capitulo CXVI et CXVII, comprobatur.

[6] 405. Inter *commodare* et *mutuare* secundum Nicolaum Perottum, carta 52, interest (fol. g1r.): *commodamus* quae eadem restituuntur, ut libros, uestes, uasa et similia. *Mutuamus* quae nos reddunt eadem et consistunt fere in pondere, numero et mensura, ut pecunias, oleum, triticum et similia. Vnde dicitur *mutuum* quasi meum, tuum, quod ex meo fiat tuum. Hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, libro V^o, capitulo 119, adiicio.

[7] 406. *Piget* secundum Nicolaum Perottum, carta 69 (fol. i3r.), personale reperitur: «Terentius (*Phorm.* 554):

"Ne plus minusue faxit, quod nos postea piget".

Pudet, cuius oppositum est *depudet*, aliquando personale reperitur, ut Terentius (*Ad.* 84):

"Quid ille fecit, quem neque pudet quicquam?"

Reperitur etiam cum datiuo, ut *pudet mihi certare. Pudet* et *piget* quomodo differunt? *Pudet* ad dedecus refertur, unde *pudor; piget* ad dolorem animi». Dico in meo *Elegantiarum breuiario*, libro V^o, capitulo CXXI.

CXXIX. Accusare et incusare.

[1] 407. Inter *accusare* et *incusare* secundum Seruium cum multis aliis Nicolaoque, carta 50, est differentia, nam pares et inferiores accusamus, sed maiores incusamus, et genitium uel ablatium cum *de* uel *coram* uel accusatiuum cum *apud* aut *ante* habere possunt, ut *Pirrhus accusat Penolopen superbiae* uel *de superbia coram matre sua* uel *apud* aut *ante matrem suam*. Et idem Nicolaus, carta 121, dicit (fol. f8u.): «*Accusare* est reum agere uel reprehendere, et semper cum genitiuo iungitur, ut *accuso te insolentiae, accuso parricidii*». (2) Laurentius autem libro VI^o, capitulo XIII^o, hanc non approbat differentiam, dicens apud aliquem auctorum istam non reperiri observationem: «Apud enim ueteres adolescentuli solebant laudi probitatis eloquentiae capessere ex magnorum uirorum accusatione. Nam et Demosthenes adolescentulus tutores suos uocauit ad iudicium. Et Cicero quaestorius Verrem praetorium accusauit. (3) Dic ergo *accusare* esse uel apud iudices uel apud alium quemuis, etiam apud illum ipsum quem accuses, significare atque ostendere quem peccasse. *Incusare* uero est mores alterius reprehendere et

plerunque cum quaerela, quod ab illo iniuria sis affectus. Et ita apud Terentium, Caesarem, Virgilium ceterosque auctores accipiendus est».

[2] 408. *Instar* ab *insto* indeclinabile secundum *Catholicon* aliosque similitudo est uel potius ad similitudinem. Vim enim huius praepositionis habet, ut in expositione uideri potest. Vnde dicendum est *hoc est instar illius*, id est ad similitudinem illius. Non nunquam tamen *ad instar* inuenitur, sed tunc abundat praepositio. Item Seruius super II^o *Aeneidos* (2, 15):

«*Instar montis equum diuina Palladis arte*»,

exponit: «*Instar*, ad similitudinem». (2) Quae quidem expositio non placet Laurentio: «Cum nil similitudinis equo ad montem sit. Quod si etiam similes esset, non tamen eum magnum potius quam paruum, quod sensit Virgilius, intelligeremus. *Archimedes ille geometricus globum ad caeli fabricatus es, similitudinem*, in quo caeli aderat effigies, non autem magnitudo. (3) Idem de *tabula illa depicta fit ad orbis similitudinem*, quam dicere non ausim *depictam instar orbis terrarum* nec alia multa huiusmodi, ut *instar Antonii ambulans, instar patris scribis, instar languidi sedes*, sed *ad similitudinem* uel *ad modum* uel *in morem* uel *tanquam* et similia. (4) *Instar* igitur potius ad aequiparationem uel ad mensuram significat, Virgilius (*Aen.* 3, 637):

"Argolici clipei aut plebeae lampadis instar";

Cicero (?): "Hexametrorum instar uersuum". Nam illud apud eosdem "Instar mortis ducunt" et "Fulminis instar" significat aequiparationem doloris in morte impetusque ex fulmine. Enimuero si ad similitudinis significationem proximae accedere reperimus, nimiam utendi licentiam deitemus».

[3] 409. *Deprecor*, teste A. Gelio (7, 16, 5), est detestor uel execror uel depello uel abominor, ut *deprecor supplicium* Laurentius autem libro 6^o, capitulo 24^o, tenet dici posse *deprecor* ut *precor* et *imprecor*: *precor tibi bonum, precor tibi malum*. Sic *deprecor liberationem* et *deprecor poenam*, illam, ut potiar, hanc, ut uitem. Ouidius libro primo *De ponte* (1, 2, 57):

«Saepe precor mortem mortemque deprecor»;

idem (*Pont.* 1, 2, 58):

«Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum»,

deprecor dixit quasi *precor* mortem non dari in hac terra. (2) Nec mirum id fieri in *deprecor*, cum in magis usitatis fiat, ut in *defendo*. Siquidem dicimus *defendo me* quod fere dicitur et non nunquam *defendo ictus*. Nec solum *deprecar* est uoce, sed etiam per ea quae instar uocis obtinere solent, uultum gestumque. (3) Denique *deprecor* magis recuso dicto factouae significat, quam illa quae A. Gelius attigit. Nicolaus autem Perottus, carta 65, dicit (fol. h7u.): «*Precari* est rogare, *deprecar* uero est precando auertere, ut Ouidius:

"Saepe precor mortem"»,

et cetera.

CXXX. Noxae dedere.

[1] 410. *Noxae dedere*, salua pace conditorum *Codicis*, est paene dare siue tradere ob noxiam qua culpa significatur. Illi uero dicunt: «Noxa est corpus quod punitur», et in eodem loco corpus deditur noxae? Nunquid corpus deditur corpori? aut corpus sibi? Nec mirum hic *noxam* pro *poena* sumi. Haec enim poena seruorum est, quos domini ad poenam malunt tradere quam praestare maleficium quod illi admiserunt. (2) Paulus ita definit: «*Noxales* appellantur actiones quae non ex contractu, sed ex noxa atque maleficio seruorum aduersus dominos instituuntur, quarum actionum uis et potestas haec est: Vt si damnati fuerimus, liceat nobis deditioe ipsius corporis, quod deliquerit, euitare litis aestimationem». Vlpianus quoque addit: «Vt corpus tradatur uiuum. Nam *noxam* etiam *damnum* significat». (3) De brutis autem dicitur improprie *ea dedi noxae*. Seruius super illud Virgilianum (*Aen.* 1, 41):

«Vnius ob noxam»,

ait *noxam* pro *noxia*, id est culpa, quasi *noxam* per se non significet culpam, sed *noxia* hanc significet, *noxam* uero poenam. (4) Vnde cum Macrobius familiaris suus *noxam* leuem culpam esse dixerit. Seruius non culpam sed poenam esse ait, culpam uero *noxiam* dici, quasi *noxia* quam *noxam* in hac culpa significatione saepius inueniri legatur, ut Laurentius libro 6, capitulo 35^o, refert. (5) *Catholicon* autem ait: «*Noxa* a *noceo*, -es, culpa, delictum. *Noxius*, -a, -um a *noxam*, id est nocuus et culpabilis et malus. Et hinc *hic* et *haec noxalis* et *hoc noxale*, idem quod *noxius*. Et componitur *innoxius*, *obnoxius*». *Compraesorium* uero subiicit: «*Noxa*, -ae, culpa, delictum, criminis poena. *Noxalis* idem est quod *noxialis*; *noxialis* idem est quod *noxius*; *noxius* autem est nocuius, culpabilis uel malus». (6) Festus Pompeius (186): «*Noxa* ponitur

pro peccato aut pro peccati poena, cum lex iubet noxae dedere pro peccato. *Noxia* apud antiquos damnum significabat, sed a poetis ponitur pro culpa». (7) Nonius Marcellus: «*Noxa* et *noxia* diuersa sunt: *noxa* peccatum leue, Virgilius primo *Aeneidos* (*Aen.* 1, 41):

"Vnius ob noxam et Furias Aiakis olei".

Noxia nocentia, Virgilius in 8^o (*Aen.* 7, 326):

"Traeque et crimina noxia cordi";

Tullius in *Hortensio* (84): "Et certos qui de rebus in quibus peccata non maxime efferunt, noxias tamen attingunt". *Noxitude* pro *noxia*, Actius in *Armorum iudicio* (162):

"Occulet noxitude, obliteretur Pelopidarum

Ac per nos fatiscat genus"».

(8) Servius: «*Noxia* et *noxa* differunt, *noxia* enim poena, *noxia* uero culpa, Virgilius primo *Aeneidos*:

"Vnius ob noxam",

quanquam per *noxia* hic ponatur». (9) Ex his arbitror dici posse quod proprie *noxia* sit peccatum, crimen uel delictum uel culpa, et apud antiquos pro damno et pro leui peccato summatur. *Noxa* uero poena sit peccati, licet apud *Codicem* pro corpore nocente ponatur. Et quandoque *noxa* pro *noxia* capitur, ut Seruius primo *Aeneidos*, *Vnius ob noxam*, docet.

[4] 411. *Munus*, Paulo teste in *l. Munus*, ff. *De uer. sig.* (D. 50, 16, 18), tribus modis dicitur: «Vno donum, et in munera dici dari mittiue. Altero onus, quod cum remittitur uacatione militiae munerisque praestat. Inde immunitatem appellari. Tertio officium, unde munera militaria, et quosdam milites munificos uocari. Igitur municipes dici quod munera ciuilia capiant». (2) Vlpianus *l. Inter*, eodem dicit titulo (D. 50, 16, 194). «Inter donum et munus hoc interest, quod inter genus et speciem. Nam genus esse donum Labeo ait, a donando dicitur. Munus speciem. Nam munus esse donum cum causa, ut puta natalium, nuptiarum». (3) Item Martianus *l. Munus proprie*, eodem titulo (d. 50, 16, 214): «Munus proprie est quod necessario subimus lege, more imperioe eius qui habet iubendi potestatem. Dona autem proprie sunt quae nulla necessitate iuris, sed sponte praestantur, quae si non praestentur, nulla reprehensio est, et si praestentur, plerunque laus inest. Sed in hoc uentum est, ut non quocumque munus idem donum accipiatur ac quod donum fuerit, id munus recte dicatur». (4) Paulus in *l. Municipis*, eodem titulo (D. 50, 16, 228): «Municipes intelligendi sunt etiam hi qui in eodem municipio nati sunt». Vlpianus in *l. I, in prin. ff. Ad municip.*, sic eleganter ait: «Municipem aut natiuitas facit aut manumissio aut adoptio. Et proprie quidem municipes dicimus suae cuiusque ciuitatis ciues, ut puta Campanos, Puteolanos», et cetera. Et de municipum munerumque materia in hoc titulo *Ad municipes* et in titulo *De muner. et oner.* (5) Et ad hanc regulam confirmandam facit Laurentius libro VI, capitulo 38, qui praeter multa ex antedictis allegat Pomponium sic dicentem (D. 50, 1, 1): «Munus publicum est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos uniuersos ciues remque eorum imperio magistratus extraordinarium peruenit».

[5] 412^a regula et postrema est quod secundum Pomponium apud Vlpianum scribentem nihil intersit utrum in *annos singulos* uel *quot annis*, an *in singulos menses* uel *quot mensibus*, an *in singulos dies* uel *quot diebus*, legetur. Cui sententiae Vlpianus accedit. Proinde et si *annui tot aurei* legerentur idem dicendum esset. (2) Hoc tamen, o Vlpiane, secundum Laurentium, libro 6^o, capitulo LIX, non latine sed barbaramente diceretur: «Quis unquam dixit *quot diebus* et non potius *quottidie*? Quis et *quot mensibus* et non *singulis mensibus*? cur etiam non addimus *quot horis*, *quot noctibus*, *quot lustris*? At si quis ita loqueretur, licet intelligeretur quid uelit dicere, tamen uelut loquens barbaramente carperetur. (3) Iabolenus melius (D. 50, 16): "Vini Falerni, quod domi nascetur, quot annis uel in singulos annos binos culeos heres meus Titio dato"». Igitur *quot annis* et *in singulos annos* dici potest, non autem *quot mensibus*, *diebus*, *noctibus*, *horis* uel *lustris*, sed *in singulos menses* uel *singulis mensibus*, et ita de reliquis est dicendum». (4) Multa alia uel ad uerba uel constructiones elegantes pertinencia ff. *De uer. sig.* et in Laurentius Vallensis in libris *De elegantibus* et meo *Elegantiarum breuiario*, ubi multa ex Prisciano, Seruio Nicolaoque Perotto sunt adiecta, ut in *Alfonsina*, reperies. Haec pauca commemorata sufficiant, praesertim cum propria materia pronominum non elegantiarum sit, secus enim uolumen intolerabile fecissemus, nam forte iam nimis magnum diceretur. In futurum, si sat ocii suppeditatum fuerit, ologrammaton¹ componemus, ubi omnia uel minutatim per alphabetum exponemus. (5) Haec sunt quae de pronomibus dicenda uidebantur.

¹ *Glossa Ologrammaton*, id est totam grammaticam, quippecum ibi communis et elegans per regulas, exceptiones et doctrinas et minutatim per uerba exponetur.

Longitudini parcatur oro, sed ea cum utilitate comparetur, et materiae latitudo non satis ab aliis extricata pensitetur, nam tunc forsitan breuitas esse putabitur, et uidebor indubie excusatus, praesertim cum mihi scribenti tot occurrere soleant, ut saepenumero de libello proposito magnus liber ordinetur. (6) Illud autem unum forsitan pro attentione facienda proferri potest, quod hic multa noua et inaudita utiliaque, sed fere omnia magnis auctoribus confirmata poterunt inueniri. Quare lector laete et accurate legat, nam inde multas utilitates delectationesque capeset.